

16) rem tyrannis regibus utilem valde: refert enim ex longinquis regionibus deferri solitos Salomoni denles elephantorum, simias, et pavones. Mirabile sane est, quod Spiritus sanctus non solum referat ingenium auri, et argenti quantitatem, quae singulis triennis Salomoni ferebatur, sed elephantorum dentium, simiarum, et pavonum mentionem faciat. D. Hieronymus *(super 2. Isaiae)* ait per elephantis ossa mortua mortem significari, quia Deus volebat prae oculis reges habere; unde et ipse Salomon hac ratione sibi construxit sedem eburneam (3. Reg. 10): *Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem. Per simias item, quarum ingenium hoc est, humanas operationes imitari, monebat regis operationes per normam rationis regulandas fore: unde d. Hieronymus ait ibidem: Et similitudo rationis, quod sentitur in simis. Per pavones tandem edocere volebat reges, ne a subditis laudati, velut pavones intumescerent, de quibus ait Ovidius: Caudato pavone superbiat; sed potius instar corumdem pavonum, quorum ex pompaticis plumis concepta superbia, deformi pedum suorum aspectu statim evanescit, ipsi ipsi turpitudinem affectum suorum per pedes significaverunt, vel pulverem, quo facti, et in quem revertendi sunt, aspicientes, humiliarentur, et recordantur illius petitionis (Hest. c. 14): Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt: verba haec sunt reginae Esther, deprecantis Deum, ne morti traderet captivos. In quibus duo ponderanda sunt: primum, quod servos, et captivos vocal, *sceptrum Dei*, quo significare voluit Spiritus sanctus Dei servos esse verum sceptrum in manu Dei, quo et ipse honoratur, et potentiam suam ostendat: secundum, quod regem Assuerum et principes eius, et nobiles regiae curiae nominat illis verbis, *is, qui non sunt*, significans, tam reges, quam imperatores, et quoscumque alios magnates absque Dei gratia, quasi nihilum reputandos esse, iuxta Pauli sententiam (1. Cor. 13) dicentis: *Si charitatem non habueris, nihil sum. Oportet igitur, ut ad id unde nonnihil digressi sumus, revertamur, saepe principes, ut domini sint, servos fieri: voluntati enim subditorum aliquando obediens, eosdem sibi obsequentes reddent, ac proprium dominium magis angebunt. Probe quidem id agnoverunt supremi illi regis Salomonis consiliarii, qui filio eius tyrannice regnare ambicenti dixerunt (3. Reg. 12): *Si hodie obediatis populo, et servieris, et petitionum eorum cesseris, erunt tibi servi cunctis diebus; quia tamen noluit prudenti eorum consilio acquiescere, certe dum semel subditis renuit, ipsi per totam vitam servitalem et obedientiam ei dengarunt. Et quidem cum Deus supremus omnium Dominus obediit Isae imperanti, ne sol moveretur contra Gabaonem (Isaie 10): *Non fuit antea, nec postea tam longa die s, obediente Domino voci hominis; id sufficere debet, ut principes Dei vestigia sequentes, rationabili suorum subditorum voluntati suam propriam cohercentes, non semel subaudiunt: id enim praestantes, et subditorum animos gratos, et Deum sibi propitium reddent, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.****

HOMILIA XIV.

Prosequimur idem argumentum, literalem, ac mysticam aliam intelligentiam totius Mariae genealogiae tradentes, a prioribus illis verbis inchoantes: Liber generationis Iesu Christi, et in illa alia designantes: Ioseph, virum Mariae, de qua natus est Iesus.

§ I.

LIBER GENERATIONIS IESU CHRISTI.

Cum non semel observaverim, divini verbi praecones nunquam seriem hanc progenitorum B. Virginis, ex quibus d. Matthaeus Magister, et Filii genealogiam contexit, populo christiano elucidandam proponere placuit, praeter omnia in hoc genere argumenti a me superius dicta, literalem, et mysticam intelligentiam omnium verborum, quibus d. Matthaeus illam descripsit, hoc loco adnotare. Quamvis autem rei difficultas me terreat, nullitas tamen me allicit, dum in memoriam revoco verba d. Chrysostomi dicentis (*hom. 3. de Lazaro*): *Iam, si non intelligas ipsa recondata, tamen ea ipsa lectione nulla nascitur sanctimoniam; et simul atque tetigerit aliquis evangelium, mox componit suam ipsius mentem, et a rebus mundanis obducit; idque ex solo ipso aspectu, solo etiam auditu, licet mysteria non intelligas: haec Chrysostomus; quibus valde consona sunt alia Orygenis (*hom. 20. super Isaie*) dum ait: *Velut incantatione quadam nozarum virtutum, quae tibi insidiantur, virus depellitur, et fugatur: si tu non efficiaris sicut aspis surda, quae non audit vocem incantantis sapienter. Ceterum, antequam propinquam argumentum aggrediar, non possum doctori Paulo non obicere, quomodo evangelista Matthaeo Christi genealogiam texente, ipse (*ad Hebr. 7*) expressis verbis tradat, Christum Dominum similem fuisse sacerdoti Melchisedech, matre, patre, et genealogia carente. Pauli verba sunt haec: *Melchisedech sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. Scio, d. Hieronymo (epist. 126) id referente, Origenem his verbis convinctum, falso opinatum fuisse Melchisedech angelum fuisse, non hominem; et at cum ex sacra Scriptura hominem fuisse, liquido constat, communis Patrum sententia docet, propterea Melchisedech deficiat a Paulo sine patre, sine matre, et sine genealogia; immo, et sine certo dierum numero, quia haec omnia cunctis erant ignota: similem autem in his omnibus Christum Dominum sacerdoti Melchisedech existitisse tradit Apostolus; quia, cum ille duplicem sustineat naturam, divinam, et humanam, certe tanquam Deus genitus a patre sine matre, quatenus homo vero a matre sine patre, ut pulchre, et religiose dixit diva Agnes: *Cuius mater virgo est, cuius patre proeminam nescit*: similiter secundum naturam hu-***

manam regiam genealogiam habet, secus vero secundum divinam; nam cum secundum hanc progenitorum serie careat, genealogiam opus est omnino nesciat. Hac igitur soluta difficultate, exordiamur iam priora verba (*Math. 1*) explicare: *Liber generationis Iesu Christi. Liber. Si primariam eius significationem consulamus, arboris corticem significat, quae antiqui quondam, tanquam pelle, aut papyro, utebantur, ut auctor est Ambrosius (*Catep. in suo dictiona*): iam vero inveterata consuetudo oblituit, ut solus liber dicatur, qui ex multis foliis secum colligatis coalescit, iuxta quam communem acceptionem videbatur sane non debuisset divus Matthaeus generationem Christi, quam unica pagina absolvit, librum vocasse. Trifariam hic notus solvi potest. Primo, si ex sententia d. Augustini (*lib. 2. contra Faust. c. 6*), dicamus, inscriptionem hanc, *Liber generationis*, non apposuisse d. Matthaum soli Christi genealogiae, sed toti saepe evangelicae historiae; quia tamen series illa generationis Christi est prima, et praecipua pars illius, ab illa, tanquam a principali, solum opus denominationem desumit; ad eum certe modum, quo Moyses primum suum librum *Genesis* inscripsit, quia in primis capitibus mundi creationem, et rerum generationes enarrabat. Secundo respondere possumus cum d. Chrysostomo (*hom. 2. in Math.*), verba illa, *liber generationis*, non esse inscriptionem declarantem utramque partem, sed totum libri argumentum, ita ut sensus sit, non solum in eo agi de Christi ortu, sed de operibus eius, quae in sacra Scriptura generationes appellantur, iuxta illud (*Genes. 6*): *Noe perfectus in omnibus generationibus suis, idest, in omnibus operationibus suis: uniuscuiusque enim opera filii sunt et partus volutatis; et ideo merito generationes possant appellari. Tertio posset dici, latini interpretem, et recte observantur Abulensis, Iansenius et alii, non incongrue solam narrationem genealogiae Christi librum generationis appellasse, quia verbum hebraeum ספרי *Sepher*, ut illius idiomatis periti adnotant, quo d. Matthaeus utitur in originali, non solum librum variis foliis compactum, sed et schedulam significat, iuxta quam acceptionem charta illa, in qua uxoris repudium scribebatur, liber in sacra Scriptura (*Deuter. 24*) appellatur: *Quis est hic liber repudii matris vestros, quo dimisi eam? similiaque legitur apud Jeremiam (c. 32), et Isaia (c. 50). Potest quarto pulchra alia expositio adhiberi, ad quam adstruendam supponendum est, triplicem esse temporalem Christi generationem; primam in utero materno: *Ecce concipies, et paries. Secundam allegoricam ex utero legis, quam utrumque vocat David, de perdidit Iudaeis dicens (Ps. 59): Erraverunt ab utero, loquuti sunt falsa: hoc est, in ipsa lege, in qua nati, et emulsi sunt, adhuc erraverunt; sed Christus Dominus in lege, tanquam in utero inclusus, implicite continebatur, quoniam oportebat impleri omnia, quae in lege, et in psalmis erant scripta de eo. Parturiebatur siquidem Christus lex, cum ipsam implicite sub ambris illis profitebatur, et venturum desiderabat; at, cum omnia impleta sunt,****

quae de eo scripta erant, quasi ex utero peperit eum, cum in lucem prodit, qui sub umbra Iacob. Tertio generatio Christi est moralis ex utero mentis per fidem, et charitatem illius: nam, ut ipse docuit, ille mater eius est, qui fecerit voluntatem Patris sui. Cum ergo sacer evangelista Matthaeus pertractet hanc triplicem temporalem Christi generationem, merito evangelicae suae historiae eam inscriptionem apposuit: *Liber generationis Iesu Christi. Tandem his omnibus expositionibus aliam non contentendam adiungimus, nimirum, quod in scripto illa, *liber generationis*, titulus est totae historiae evangelicae appositus; nomine tamen *generationis*, non solum complectitur Evangelista generationem corpoream illius ex matre, sed spiritalem eiusdem, quae per evangelicam, quam seminavit, doctrinam, per multos filios regeneravit, et in dies regenerat, iuxta illud d. Iacobi (c. 1): *Voluntarie genui nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius: hoc est, ut in nobis exordium sumat spiritualis eius generatio, de qua Isaia (c. 53) dixit: *Generationem eius quis enarrabit? Licet enim Hieronymus (in c. 1. Math.) de aeterna Filii generationis verba haec intelligenda arbitretur, alii vero cum Aymone in commentariis illius loci, de temporali ex matre illa intelligant, alii cum doctis. Forer. (*super Isa. c. 53*) concludunt, quod cum דור *Dor* significet non solum generationem, sed saeculum, seu aetatem; sensus illorum verborum est, saeculum illud adeo insipientis, et immane existisse, ut Christum Dominum probabilissimum virum abiectionis crucis morte iniuste mulctaret, quis non mirabitur? vel aliter, ut idem auctor exponit, ut generatio non sumatur ibi pro saeculo, sed pro vita, ut perinde sit, ac si diceret: vitam eius brevissimum quis enarrabit? fuit enim praereptus immatura, et violenta morte. Ego tamen has omnes interpretationes non inficiens, germanam magis ac literalem eorum expositionem esse reor, ut de spirituali generatione, qua Christus in lecto crucis iacens, nos concepit, et regeneravit, et instar parturientis gravissimis non peperit doloribus, intelligenda sint, ut patet manifeste ex verbis eiusdem Isaiae (c. 53), et in eod. cap. tam antecedentibus, quam subsequentibus: *De angustia, et de iudicio subitatis est: generationem eius quis enarrabit? quia abscessus est de terra viventium: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longevum: ecce Isaia aperte loquitur de spirituali sobole in filios plurimos pro morte Christi propaganda, iuxta illud, quod ipsemet de se vaticinatus est (*Joann. 12*): *Nisi gravium frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum afferit. In cuius figuram novimus, quod quia Abraham voluit immolare filium suum Isaac, vidit ex eo semen longevum; quod sane non minus videtur, etiamsi in holocaustum igne illum concremasset; nam is erat Deus, cui filium offerrebat, inquit Paulus, qui posset Isaacum a mortis revocare, ut filiorum procreationi operam daret. Obedientia ergo Christi in morte non fuit sterilis, sed instar obedientiae Abrahami fecundissima, tot Deo parturiens filios, ut nume-*****

rari non possint; ad quod significandum Isaias (c. 53) dixit: *Generationem eius quis enarrabit?* id est, multitudinem florum, quos moriens generabit, quis poterit computare? Excellentiam autem huius spiritualis regenerationis inde arguere possumus, quod omnes aliae temporales generationes in hanc unam referantur, et ordinantur; prima generatio fuit Adami sine viro, et foemina, cum ex limo terrae factus fuit (Gen. 1); secunda Evae ex viro sine foemina, quia ex costa Adaeeducta fuit (Gen. 2); tertia ex patre, et matre, et Abelis, et reliquorum omnium, qui naturali propagatione a primo parente originem trahunt (Gen. 4); quarta fuit Christi Domini ex foemina sine viro, quae reliquas omnes generationes pro peccatum eversas instauravit, et a diaboli dura servitute liberavit, ut egregie adnotavit d. Augustinus (ser. 16, de Nativ. Iesu Christi), qui postquam priores tres generationes commemoraverat, continuo subiunxit: *Quarta restabat sine viro de foemina, sed ista quarta liberavit tres: prima enim, et secunda ruerunt, tertiam de ruina genuerunt, in quarta salutem invenerunt.* Haec igitur quarta Christi generatio, quae radix, et origo nostrae spiritualis regenerationis exitit, salutem omnibus generationibus attulit: unde ex sententia Card. Hagonis (super cap. 15) non incongrue ei accommodari possunt verba illa Genesis: *Generatio quarta revertetur huc:* sicut enim filii Abraham generatio quarta reversi sunt in Palestinam ab aegyptiaca captivitate liberati, ita quoque per quartam generationem Christi ex foemina sine viro, in filium Adae facti sunt filii Dei, et consortes divinae naturae, ut Petri verbis utar, quod sane contemplant Richardus (lib. 1. de Emman.) tam acule, quam eleganter dixit: *De sexu fortiori fragilior proceditur, quando de Adam Eva formatur, sic status statum sequitur, et meliore sublato deterior subintroducitur: prior fuit ante peccatum, secundus post peccatum: hic autem et converso de infirmiori sexto fortiori gignitur, quando de altera quasi Eva, quae vere est mater omnium viventium, secundus Adam generatur: sic hic post unum statum alius exurgit, et deteriori melior succedit; et prior quidem ante resurrectionem, secundus post resurrectionem: haec Richardus: quibus aperte indicat, per generationem Dei hominis ex Virgine, non solum miseram Adae conditionem, sed et hunc nostrum terrenum statum in alium meliorem, et coelestem fuisse commutatam. Atque hinc colligere licet causam, ob quam Deus olim librum legis mosaeyae in captivitate duci permisit. Narrat Flavius Iosephus, et Paulus Orosius, imperatores Titum, et Vespasianum post devaslantiam urbem hierosolymitanam, summa pompa, et apparatu triumphantes Romam ingressos fuisse: praebant ante illos variae militum cohortes, vexilla, quae, ab hoste extorquerant, per terram trahentes; sequebantur vasorum, et candelabri aurei delatores, ac tandem ultimo loco, tamquam nobilissimum spoliu, librum legis aureis laminis exornatum ferebant: deinde adhibitis, ut moris erat, variis caeremoniis ad maiorem triumphum honorem, et gloriam, vexilla illa in Capitolium fuere deportata; liber vero legis ad sacrum pa-*

ladium delatus: mysterio carere non potest, valuisse Deum, sanctum librum legis in infidelium captivitate dari, cum d. Paulus asserat (2. Timoth. 2): *Verbum Dei non est alligatum;* quasi apertus diceret: me quidem in carcerem detrudere, non erit vobis difficile, verbum autem Dei in captivitate, et servitute redigere minime valebitis. Ego in hoc divino consilio illud arcanum latere puto, quod expropter Deum librum veterem legem continentem in captivitate abire permisit, ut indicaret, interitum eius iam accessisse, ac loco illius novam gratiae legem substituendam fore, per cuius observationem permitti in filios Dei regenerarentur. Sane in principio illius veteris legis libri sermo erat de terrena Adami generatione; in principio vero libri legis gratiae de coelesti agitur Adamo: illius libri historia ab illius verbis exordiumumpsit: *Hic est liber generationis Adam in die, qua creavit Deus hominem;* huius vero narratio ab illis coepit: *Liber generationis Iesu Christi:* in illo agitur de principio humanae captivitatis, in isto de origine nostrae liberationis: in illo de eo, qui per inobedientiam sumens de ligno vitello diabolus filios nos genuit, in hoc de Christo, qui per obedientiam in ligno crucis moriens, in filios Dei nos regeneravit. Itaque cum doctor Matthaeus recte nosset scriptum fuisse librum generationis Adae, exorsus est suam narrationem ab illis verbis: *Liber generationis Iesu Christi,* ut opponeret librum libro, et Adamum veterem Adamo novo, per quem omnia sunt restaurata, quae per illum alterum fuerant dissipata, et corrupta: unde dum d. Matthaeus ait: *Liber generationis Iesu Christi,* perinde fuit, ac si clarius diceret: attendite hanc generationem non esse Adae nos perdentis, sed Iesu nos salvantis; non Adae bonis spiritualibus nos expoliantis, sed Iesu divinis gratiae charismatibus, ac multis virtutum margaritis nos locupletantis; non tandem Adae a paradiso terrestri nos expellentis, sed Iesu in paradiso coelestem nos introducentis. Permultis quondam datum fuit nomen Iesu, sed in figura Salvatoris nostri, sicut Iesu Nave, id est Iosue, de quo (Ecclesiasticus c. 46): *Fortis in bello Iesu Nave, successor Moysi;* et sicut Iesu filius Iosedech, cuius meminit Zacharias (cap. 6); at hi nihil aliud, quam salutis per Christum datae figuram praetulerunt, unde ne quis in nomine Iesu hallucinaretur, adiecit Evangelista nomen Christi, quod, ut scribit Cyrillus Alexandrinus (lib. de incarn. Unigen. c. 1), *nee definitionis vim obtinet, nec cuiuspiam substantiae, qualis sit, significat, sicut forte homo, aut equus, aut bos; sed rei magis, quae in aliquo agatur, habet significationem.* At dicit quispiam: non recte secerit Matthaeus Iesum ab aliis, qui hoc nomine fuerunt insigniti, vocans illum, Christum, id est, unctum, quia olim ungebantur reges, prophetae, et sacerdotes: tres enim unctioes inter alias in veteri testamento legimus: unctus fuit Aaron in sacerdotem (1. Reg. 10), unctus et ab eodem David in prophetam, et regem (1. Reg. 16); verum neutra istarum unctio cum Christi unctioe com-

parari potest, ut perspicue cecinit David (Psal. 44) dicens: *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae participibus tuis.* Unde si illarum unctio cum charismata contempleris, omnia simul, et alia longe maiora in Christo confluisse reperies: si ungebantur prophetae, et ille propheta est, quem Deus suscitavit de fratribus suis, ut dixit Moyses (Deut. 18): si ungebantur reges, ille, ut ait Ioannes (Apoc. 19) *Rex regum, et Dominus dominantium est:* si ungebantur sacerdotes, et ipse est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Unde d. Cyrillus hier. (Catech. 10) Christi unctiois excellentiam perpendens dixit: *Non ex corpora successione accepit sacerdotium, neque factio oleo unctus est, sed tanto excellentius altis, quanto hic cum inveniundo factus est sacerdos.* S. vero Ioann. Damascenus (lib. 3. de fid. ort. cap. 3) luculenter explicans, quoniam fuerit haec praesantissima Christi unctio, omnes alias longe superans, perdocte inquit: *Christi vocabulum personae dicimus, ut quod non unimode dicitur, sed duplicem naturam significat; ipse enim seipsum unxit, corpus videlicet divinitate sua ungens ut Deus, unctus autem ut homo; quandoque unctio ipse, et hoc, et illud est: unctio propter humanitatis est divinitatis: haec d. Damascenus. Ubi etiam docet spirituale hanc Christi unctioem communem, et non communem esse nobis: communem quidem, quia participatio Christi ab eo dicitur Christiani; non communem autem, quia unctio per unionem personalem Verbi cum humanitate, inestimabili quadam sublimitate unctioem nostram per gradum habituale, ultra quam dici potest, excedit. In cuius figura legimus (Levit. 7), simul unctos fuisse Aaronem, et filios eius, sed non talia in eis, qualia in Aaron unctio praestitit: non dissimiliter Christus, et nos Christiani unguimur, sed aliter, et aliter: ille substantiali divinitatis unctioe, nos operatione eius gratiam nobis conferente. Tandem d. Matthaeus generationem Christi, et Mariae enarrare agrediens, eiusque genealogiam recensens, per multas simul haereses extirpat: nam qui hanc credit, deridit haeresiarcam Valentinum, perinde asserentem, Christum per Mariam, tanquam per canalum transeuntem, nihil ab ea accepisse. Contemnet Apollinarem, qui corpus Christi de coelo delatum, ementis est. Execrabatur Manichaeum phantasticam, et non veram fuisse carnem Christi mendacissime effluentem. Sola ergo haec inscriptio *Liber generationis Iesu Christi,* omnes hos eliminat errores, cum ab humanis parentibus genitus, humanae naturae expertus esse non possit.*

§. II.

FILII DAVID, FILII ABRAHAM.

Hos patres in capite libri suae generationis congrue satis voluit Christus Dominus apponi: Davidem quidem, quia, cum populus hebraeus sacris eloquiis edoctus, Christum ex Davide oriundum certo crederet; unde Pharisaei interrogati ab illo (Matth. 22): *Quid vobis videtur de Christo? cuius filius est?* continuo respon-

derunt: *David.* Tatra etiam stupenda Christi opera admirans, dicebat (Matth. 12): *Nunquid hic est filius David?* Paeri etiam acclamantur in die palmarum (Joann. 12): *Osanna filio David:* ac tandem quotquot a Christo aliquid postulabant, ut sacri Evangelistae referunt, his verbis utebantur (Matth. 9. et 15): *Miserere mei, fili David.* Hinc est, voluisse Christum in principio suae genealogiae Davidem apponi, de quo ipse dixit (Marc. 10): *Ego sum radix, et genus David;* quibus verbis duo significavit, et esse radicem Davidis, quia creator erat illius; et pariter genus esse Davidis, quia de genere eius carnem sumpsit, iuxta illud Pauli (ad Rom.): *Factus est ex semine David secundum carnem:* ex quo patet, nullam esse contrarietatem inter Isaiam, et d. Ioannem, dum ille (cap. 11) Davidem radicem Christi vocat: et contra vero hic (Apoc. 5.), Christum radicem Davidis appellat, utrumque enim propter geminam Christi naturam verissimum est: ratione enim divinae radix Davidis, ratione vero humanae David radix illius erat. Abrahamum etiam in limine genealogiae posuit Matthaeus, quia israelitici populi caput fuerat, et origo; unde Isaias ad populum illum dixit (cap. 51): *Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam lacu, de qua praecisi estis: attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saran, quae peperit vos, quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum.* Cum ergo petra esset Abraham, merito in huius genealogiae fundamento, veluti primus lapis collocatur, ceterique illi adnectuntur, quosque ad Christum angularem lapidem, de quo David (Psal. 117), *Factus est in caput anguli,* perveniretur; meritoque Abraham absisa petra nominatur propter fides stabilitatem, et constantiam, in qua adeo effulsit, ut a Paulo vocetur (Rom. 4), *Pater omnium credentium.* Unde sicut lapidem primum, quem rex in fundamento collocat magis alicuius aedificii, quod extruere satagat, speciali aliquo signo illum exornat, ita cum Deus optimus maximus templum humanitatis Christi ex israelitico populo aedificandum statuisset, primum lapidem Abraham, quem in fundamento posuit, regio illo ac purpureo signo decoravit, de quo Paulus (ad Rom. 4): *Signum accepit circumcissionis, signaculum iustitiae fidei.*

§. III.

ABRAHAM GENUIT ISAAC.

Aple satis Evangelista per generationem Isaac Christi generationem texere exorditur; sicut enim Deus promisit Abraham Isaacum (Gen. 15. 17), antequam nasceretur, unde d. Paulus (ad Galat. 4) vocat illum natum per reprobationem, sicut etiam Christum, antequam in orbem veniret, antiquis Patribus pollicitus fuerat: et quemadmodum Abrahamo centenario Sara peperit Isaac, sic populo israelitico Abraham semine centenario in ipsa eius senectute, post tot reges, et duces Maria peperit Christum; et sicut Isaacum non naturae facultas, sed miraculum ex sterilis genit, sic Christum

non naturae vires, sed Altissimi Dei potentia ex Virgine produxit, angelo ad illam dicente (*Luc. 1*): *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: Sara quidem peperit in senectute sua, Maria vero in virginitate sua: mirabile est illud, sed multo mirabilior est hoc; haec ille utique Isaac genitum fuit extra spem naturae, ille de antequam iam deficiente, hic de Virgine incorrupta, quia ille Isaac filios fuerat geniturus in lege corruptenda, iste autem in lege stabili, et mansura: et sicut Sara (*Genesis 21*) dixit: *Risum mihi fecit Deus, quicumque audivit, corripit mihi*; sic Maria non dissimilia protulit verba: nam quid aliud est, *Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quam, risum fecit mihi Dominus*: et quid aliud, *Beatae me dicent omnes generationes*, quam quod illi de Christi conceptione congratulantur, et corrident omnes: corripit Elisabeth dicens: *Benedicta tu in mulieribus*, et *benedictus fructus ventris tui*: corripit Ioannes, dum in matris utero delitescens, *Exultavit infans in gaudio*: corripit Marcella, dum exclamans sacra illa protulit verba: *Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae sucisisti*: et sicut Sara dixit: *Quis audierum crederet Abraham, quod Sara, aliquando vetustissima, lactaret filium*; ita Beata Virgo subiungere potuisset: quis audierum, absque fidei divino lumine, et credet, Virginem lac ex ubere de coelo pleno ipsi Deo et homini propinasse? Deinde, sicut Isaac mater nescivit, quando ductus fuit, et immolare, sed postquam reversus est, id agnovit; sic Iesum Synagoga, legalis eius mater, non cognovit illum Filium Dei, quando debebatur ad mortem, sed postquam per resurrectionem de illa triumphavit, tunc non pauci Iudaei nosse coeperunt pro humano genere in ara crucis cum immolatum fuisse: et sicut Isaac ligna portavit in locum, in quo erat immolandum (*Gen. 22*), sic et iste lignum portavit extra portam, ubi cruci affigendus erat: et sicut ille non restitit Abrahae illum occidere volenti, sed dixit, ut observat d. Chrysostomus (*super Matth.*), pater, liga mihi manus, et pedes, ne forte insurgens me defendam, sic et iste non contradixit Patri, ut ipse dixit per Isaiam (*c. 50*): *Ego autem non contradico, retrorsum non abii*; sed paratus ad mortem, respondit: *Fiat voluntas tua*: et quemadmodum cum Abraham ex divino praecepto vellet Isaac occidere, prohibitus est illum mactare, et loco illius suffectus fuit aries, quem obtulit; sic toto illo saeculo, quo usque venit plenitudo temporis, in quo Deus missurus erat Filium suum in ara crucis pro nobis immolandum, arietes, hirci, atque vituli non pauci Deo oblati fuerunt, ut per illa umbratica sacrificia ad illud cruentum, quo Christus offerendus erat, mundas praepararentur. Vel dicamus aliter cum s. Cyrillo Alexandrino (*in comment. huius loci*), quod sicut ibi occisus fuit aries, non Isaac, ita oblatio Christo in ara crucis, mortem subitum humanitas, non divinitas, quae impassibilis erat. Sed neque hoc loco praetermittam aurea verba Origenis (*hom. 8. in c. 22*) ubi ait: *Movet me satis diligens, et acuta Abrahae responsio, nescio quid videbat in spiritu, quia non de praesenti, sed de futuro dixit, Deus providere si-*

bi ovem, futura respondit filio de praesentibus requirenti, ipse nunquam sibi Dominus ovem providebat in Christo. Ac tandem pulchra aia Cyrilli Alexandrini verba his adnectam, quibus singulare aliud arcanum detexit in eo, quod Abraham filio suo uxorem non ex Chananaeis, sed ex iis, qui idolis addicti erant, seligeret: sic enim ait: Deus congregationem Iudaeorum noluit coniungere Christo, quorum Chananaei nolam gerabant, sed ecclesia ex gentibus est, ad quam ministri Dei missi sunt.

§ IV.

ISAAC AUTEM GENUIT IACOB.

Observandum est hoc loco, quod licet Rebecca esset sterilis, Isaac tamen noluit aliam, praeter illam, uxorem, quod propterea hebraei id fecisse opinantur, quod non liceret homini consecrato geminare uxores; Isaac autem consecratum Deo putabant, quod Dei victimam efflisset, ipse vero efficacissima sua oratione fecunditatem suae uxori obtinuit, ut aperte indicant verba illa (*Genes. 25*): *Deprecatus est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum*. Contulit autem Deus tantam fecunditatem Rebeccae, ut geminos infantes uno partu ederet; Esau prior in lucem venit, rufus, et pilis toto hispidus corpore: hic venator, et agricola evasit; Iacob vero, ut habetur ibidem, *vir erat simplex*, et ut LXX. Interpretes vertunt, *vir erat non factus, et absque fraude*; Esau venationis causa vagabatur in agris, Iacob vero habitabat in tabernaculis, hoc est, domi se continebat; Duoque et doctrinae, ut vult chaldaeus paraphrastes, vacabat; unde ipse interpretatur praedicta verba in hunc modum: *Iacob erat vir perfectus, minister domus doctrinae*. Hi duo fratres egregie adumbrant duo hominum genera, peccatorum, et iustorum; Esau quidem venator improborum tyrum gerit, qui cadaecae res, honores, et divitias venantur, Iacob autem proborum imaginem praesert in tabernaculis habitantium, hoc est, ut d. Gregorius explicat, se intra mentis secreta restringentium, et per vana desideria minime se dissipantium; illi, ut Esau, qui prior egressus est a ventre, tantum filii huius saeculi, priorem in illo loco ambientium, iuxta illud Christi Domini (*Matth. 23*): *Anant primos accubitus in coenae, et primas cathedras in synagogis*; hi vero, velut Iacob, qui fratris pedem tenuit, verbo, et exemplo sceleratos homines cohibent, ne in varia scelera se praecipitent: ac tandem impii, instar Esau, hirsuti, et asperi sunt moribus, ac superbi; probi vero, instar Iacob, lenes, mites, faciles, ac humanos omnibus se praebent.

Observandum etiam est, consulto Evangelistam praetermisisse alterum fratrem Iacobi nomine Esau; tum quia illum rejecit Dominus a se, ne in dilecto populo suo connumeraretur, iuxta illud (*Malach. 1*): *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*; tum quia Iacob surripuerat benedictionem, et ius primogeniturae fratri suo, unde ipse solus debebat hic annu-

merari: quod sane nulla ratione mysterio vacare pulverem; nam, ut auctor est Augustinus (*l. 6. de civ. Dei c. 39*), lucta illa, quam Iacob habuit cum angelo, non pauca Christi arcania aperuit: Iacob quidem praevaluit contra angelum, et accepit benedictionem ab eo, indeque claudus mansit; praevaluit autem, quoniam ipse voluit ab eo vinci, et tunc nominatus est Iacob Israel, a quo omnes illius populi vocati sunt Israelitae; non dissimiliter plebs illa durae cervicis praevaluit, iuxta falsam eius opinionem, contra Christum, turpissima crucis morte illum afficiens, tamen *Oblatus est, quia ipse voluit* (*Isa. 53*), et capi et occidi permisit, ipso dicente (*Io. 10*): *Nemo tollet a me animam meam, sed ego pono eam a seipso*; ex hac victoria factum est, quod Israel mansit benedictus in his, qui Christo crederent, et ab eo fideles Christiani dicti sunt, sicut ab Isaac Israelitae. Factum est etiam, ut maneret claudus in his, qui sibi rebelles existerent, iuxta illud Davidis (*Ps. 17*): *Claudicaverunt a semitis tuis*. Lucta deinde illa adamussim reert efficaciam orationis, ac precum, quas sancti ad Deum fundunt; nam, ut dixit Oseas (*c. 12*): *Iacob in fortitudine sua directus est cum angelo, et invaluit ad angelum, et confortatus est: flevit, et rogavit eum*: ecce arma, quibus Iacob pugnavit adversus angelum, Deum representantem, preces quidem fuerunt, quibus de illo palmam reportavit. Lucta deinde illa non obscure docet, eos, qui ad Deum convertuntur, oportere se ad pugnam accingere, iuxta illud (*Ecclesiast. c. 2*): *Fili, accedens ad servitium Dei, sta in iustitia, et timore, et praepara animam tuam ad tentationem*; atque, Iacobum habuisse fratrem suum infestissimum hostem ab utero matris suae, insuper et soceram, atque cognatos persecutores sustinuisse; immo, quando iam ceteri hostes ab eius impugnatione desisterant, angelus Domini descendit de coelo, ut cum eo tota nocte luctaretur, ne ignavia, ac desidia mollesceret: hanc enim continuam pugnam valde utilem esse, id quod Iacob contigit, apertissime demonstrat: nam sicut ille remansit uno pede claudus, sic servus Dei accidit, ut ex assidua praedicti consuetudine adversus hostes maneat sinister pes, hoc est, appetitus eorum sensitivus, debilitatus, ea, quae carnis sunt, oblivescens; pes autem dexter, scilicet spiritus, sausus, et fortis adeo, ut illi inibatant, illo ambulant, illo quocumque pergunt, se moveant, implentes illud Pauli (*ad Galat. 5*): *Spiritu ambulante, fratres, et desideria carnis non perficiatis*: recte quidem Apostolus monet ut pede spiritus forti, non infirmo carnis ambulemus, nam sicut, qui infirmo pede laborat, vix tangit illum, nec ei se fidit, aut innititur; sic non infirmas carni, sed spiritum innitendum est (*Joan. 6*): *Nam spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam*: quemadmodum etiam Iacob vicit alibi fratrem suum Esau, non illum aggreddendo, sed fugiendo, matris suae Rebeccae consiliis acquiescens: *Fili, vidi me, et fuge in Mesopotamiam, donec quiescat ira fratris tui*; sic Ecclesia filios suos docet, ex Christi doctrina edocta (*Matth.*

10): *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Iacob egrediens ex utero fratris plantam tenuit, ut quem a primogenitura supplantaturus esset, Iacob enim supplantator interpretatur, id ex sententia Irenaei (*l. 4. c. 6*) victoriam Christi praesignavit, de quo Ioannes (*c. 19*) dixit: *Ecce qui vincens, ut vinceret*; immo et victoriam populi gentium, qui primogenitum quem populus Iudaeus a se respulit, Non habemus regem, nisi Caesarem, religiosum animo suscipiens, divinae benedictionis primogenituram nactus fuit; Iacob ex duabus sororibus plures alios habuit, Christus ex duabus legibus: Iacob nulla passus est propter pulchram Rachel, Christus mortem ipsam sustinuit propter pulchram sponsam suam, Ecclesiam catholicam.

§ V.

IACOB AUTEM GENUIT IUDAM, ET FRATRES EIUS.

Hoc loco d. Chrysostomus ait (*sive auct. oper. imperf. in Matt. hom. 1.*) buod sicut Iacob duodecim filios habuit, qui duodecim fuerunt Patriarchae; ita Christus duodecim Apostolos in spiritu, et non in carne, verbo, et sanguinis effusione genit, qui duodecim tuere Ecclesiam catholicam Patriarchae: et sicut Iacob cum filiis suis descendit in Aegyptum (*Gen. 46*), per quos genus eius magnum suscepit incrementum; ita Christus Dominus cum Apostolis descendit in mundum, ut Ecclesia catholica in dies magis, ac magis propagaretur.

Antequam tamen ulterius progrediar, non possum duplici dubitationi, quae hic occurrit, prius non facere satis. Prima est, quomodo Evangelista primo loco recenset Iudam, cum quarto loco natus sit: primogenitus fuit Ruben, secundus Simeon, tertius Levi, quartus Iudas, ut sacra Genesio commemorat historia. Respondeo, divino consilio factum esse, ut nullus illorum trium hic adnumerandus assumeretur, propter enormissima peccata, ab quae ius primogeniturae merito illis fuit ablatum: etenim Iacob ad Ruben dixit (*Gen. 49*): *Effusus es, sicut aqua, non cresces, quia ascendisti cubile patris tui*: de Simeone vero, et Levi: *Vasa iniquitatis bel-lantia, in consilium eorum non veniat anima mea, et in coetu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, et in voluntate sua suffoderunt murum*. Sed observa quae, hic divino consilio patros ius primogeniturae ad filios minores non transtulisse, ut per id, tamquam per tyrum, praesignaretur ius illud, quod per Christum Deum habemus, non ex carnis successione, sed ex electione, vocatione, ac divinae gratiae infusione pendere. Secunda dubitatio est, quid sit, quod, cum a solo Iuda Christus Dominus originem ducat, non a fratribus eius, d. Matthaenus meminerit ceterorum eius fratrum, cum tamen id minime facilitaverit, cum Abrahae, aut Isaac filium esse expressit; nec enim tunc ita scripsit, Abraham genuit Isaac, et fratres eius, aut, Isaac genuit Iacob, et fratres eius. Respondeo, ex doctrina Theophylacti (*super cap. 1. Matt.*), eorum solum mentionem fecisse Evangelistam, a

quibus Iudaei descendebant, et ex quorum propagatione, tamquam ex semine electo, se oriri gloriabantur; illi autem non ex Ismaele, aut Esau natos se iactabant, sed ex filiis Iacob. Propterea ergo Matthaeus simul cum Iuda fratres eius in Christi generatione inseruit. His iam praebatis, accedamus oportet ad ea, in quibus Iuda Christum Dominum ad vivum expressit; reperiemus illa in benedictione, quam a patre suo suscepit, Iacob spiritu prophético filios suos benedixisse, ut tradit Hieronymus (tom. 8. super Isai. c. 2.), quod et sacer ipse textus apertissime indicat, dum Iacob dixit (Gen. 49.): *Congregamini, ut annunciem, quo ventura sunt vobis in diebus novissimis*; hoc est, in ultima aetate, quando venturus est Christus, auctor legis gratiae. Quando ergo Iacob in ultima illa benedictione convertit sermonem suum ad Iudam, a quo Christus originem ducturus erat, varia Christi arcana sub typicis, et symbolicis verbis nobis scripta reliquit; nam praeterquam Iudae dixit (Gen. 49): *Te laudabunt fratres tui, et adorabunt filii patris tui*; quod non obscure adumbrabat, Christum Dominum, non solum a regibus adorandum, Matthaeo dicente (c. 2.), *procedentes adoraverunt eum*; sed et ab angelis, ut ait Paulus (Hob. 1), *et adorant eum omnes angeli eius*; postea subiunxit (Gen. 49): *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, quibus verbis aperte praesignificavit victoriam, quam Christus de universo orbe habiturus erat, iuxta illud (Joan. 16): Confidite, quia ego vici mundum*; vicit sane gloriose, inimicum mundi ciciens (Joann. 12): *Nunc princeps huius saeculi cecidit foras*; et gentem idolorum cultricem suavi christiana religionis iugo subiecit: post haec subdidit Iacob verba illa mysteriis plena (Gen. 49): *Capulus leonis Iuda, ad praedam filii mei ascendisti, requiescens occubisti ut leo, et quasi leaena, quis suscitabit eum?* his quidem miram Christi fortitudinem vaticinatus est, quam ipse descendens ad praedam mortis, et inferni, et eorum, qui ab eo captivi detinebantur, mirifice ostendit; fecit hanc praedam, ascendens in crucem: *ad praedam filii mei ascendisti*; deinde cum requievit corpus eius in sepulcro, iuxta illud (Psal. 15), *Caro mea requiescet in spe, descendit secundum animam in infernum, ut inde vincos educeret*; deinde ex morte surrexit victor, quasi leo, et quasi leaena, quae rugibus suis non solum filios vivificat, sed et caveat, in qua latitat, tremorem incutit: quod et in Christi resurrectione accidisse video, cum, et terrae motus magnus insensuerit, et sepulcri custodes tremefacti, in terram ceciderint, Matthaeo (c. 28) dicente: *Eccc terrae motus factus est magnus, et ceteri sunt custodes, et facti sunt velut mortui*. Cum autem addit, *quis suscitabit eum?* perinde fuit, ac si diceret: non indiget, ut resurgat, extrinseca aliqua virtute illum suscitante: nam cum ipse sit auctor vitae, et vita ipsa per essentiam, facile se suscitare valebit, ut et ipse de se testatus est (Joan. 2): *Solvite templum hoc, et in tribus diebus reaedificabo illud; illi autem, inquit Ioannes, dicebat de templo corporis sui*. Rursus Iacob adiecit (Gen. 49): *Non auferetur sceptrum de Iuda, et dux de femore eius, donec veniat,*

qui mittendus est; vel ut paraphrasas chaldaeus verit: *donec veniat Messias*; ita sane conligit, quoniam usque ad adventum Christi nunquam defuit gubernator de Iuda, sive haberet litulum regis, sive ducis, sive praesidis: etenim usque ad captivitatem babilonicam reges septrata tenuerunt; in captivitate autem ipsa, licet regum Iuda fuerit interpellatum, non tamen penitus ablatum; postea vero sub Zorobabel restitutum est, qui fuit Iudaeorum princeps, cui postea in eodem principatu succedere Machabaei, qui quamvis essent levitae, et sacerdotes, malerno tamen genere de Iuda descendebant, cum liquido constet has tribus commixtas inter se fuisse: et quidem licet dixerimus, Machabaeos non fuisse partim ex tribu Iuda, non tamen haberent ductum, nisi in deposito, ex consensu expressi ipsius tribus Iuda, ut sacra Machabaeorum narrat historia (c. 14) dicens: *Judaei, et sacerdotes eorum consenserunt eum esse ducem suum, etc. donec surgat propheta fidelis, etc. ut cura esset illi pro sanctis, etc.* idest Messias, ut sapienter interpretatur Hieronymus (qui super cap. 3. Osee), non legit praedictum locum, *donec veniat, qui mittendus est, sed, donec veniat, qui repositum est*; idest, Christus Dominus, cui servatum erat imperium et regnum David, quasi in deposito ab eo tempore, quo defecerunt reges de domo David, postea vero aliquantulum ante Christi Domini ortum, ablato de Iuda regno, et ad hominem Iudaeum translato, continuo Christus in mundo adventi: quare putaverim hoc esse certissimum signum, verum Messiam advenisse. Unde Hieronymus (in c. 1. Matt.) egregie dixit: *Iudaei apud Iudaeos ex semine Iudae reges fuerunt, donec Christus ex Virgine nasceretur*: primus enim in gente Iudaeorum rex alioquin genuit Herodes; qui ergo negat venisse Christum, ostendat regem de tribu Iuda in gente Iudaeorum. Prosequens autem Iacob propheticam suam benedictionem, dixit (Gen. 49): *Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam*: quibus verbis explicuit vocationem populi gentilis ad Ecclesiam, et conjunctionem eiusdem sub eodem legislatore ad plebem iudaeam, per asinam significatam, eo quod, instar asinae, assueti esset portare gravia illa mosaycae legis onera, quae, ut dixit d. Petrus (Act. 15), *neque patres nostri, neque nos portare potuimus*; ostendit aperte divus Paulus hanc conjunctionem, dum dixit de Christo (Ephes. 2): *Ipse est pax nostra, qui fecit utroque unum*: ad quod sane significandum arbitror, Christum Dominum consulto ingressum fuisse Hierosolymam asinae, et pullo insidentem. Atque hoc modo recte etiam cohaerent metaphorae vineae, et vitis, quibus utilis Iacob: per vineam enim existimo, intelligi Ecclesiam catholicam, sic enim illam appellavit Isaias (Isai. 5): *Vinea Domini Sabbath, domus Israel est*. Vitis autem Christum adumbrat, qui de se ipso dixit (Joan. 15): *Ego sum vitis vera*. Illos ergo, quos Deus ad se traxit ad vineam, simul ad vitem ligat, idest, Christo, et Ecclesiae illos copulat: sicut enim impossibile est, coniungi viti alicuius vineae, a vinea se separando, ita impossibile est, quem

piam Christo copulari, qui ab eius ecclesia romana se sequestrat. Subdit praeterea Iacob verba illa: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvae pallium suum*: ecce adumbratum passionem Christi, et fructum eius: nam quid aliud est: *Lavabit in vino stolam suam*, quam id, quod Isaias (c. 63) in Christi persona praedixit? *Torcular, scilicet crucis, calcavi solus*: in hoc creta torculari, quando clavi acriter prementis vinum sanguinis Christi expresserunt, sacra eius corporis stola fuit lota: ecce Christi passionem adumbratam; cum etiam per pallium eius Ecclesiam iustorum intelligat, iuxta illud Isaias (c. 49): *Venit Dominus, quia vis omnibus tanquam ornamento vestieris*: sane purpureo hoc sanguine infunctum fuit pallium istud, omnes eius maculas absterget; ecce fructum passionis Christi. Tandem eorumdem verborum (Matt. 1): *Iacob autem genuit Iudam, et fratres eius, mysticam accipio intelligentiam*. Iudas confessionem sonat, quae alia laudis est, alia peccatorum. Utramque assumat servus Dei: confiteatur Deo, illi gratias referendo, quod videret ex tot praелиis suo opportuno adiutorio evasere; confiteatur etiam peccata sua, cum opus fuerit: ad hoc assumat etiam fratres Iudae, hoc est, comiles verae confessionis, nempe, quod sit integra, simplex, et lacrymosa.

§. VI.

IUDAS AUTEM GENUIT PHARES, ET ZARAM DE THAMAR.

Hi filii extra coniugium nati sunt; erat enim Thamar nux Iudae: siquidem ille tres filios habuit, Her, Onan, et Sela: primogenito dicit Thamar, sed mortuus est sine semine: secundus, cum nequam esset, et nollet iuxta Domini praeceptum suscitare semen fratri suo, interfectus est a Domino; quo mortuo, dixit Iudas ad Thamar (Gen. 38): *Esto in domo tua vidua, donec crescat filius meus Sela*. Post aliquot dies videns Thamar, quod Iudas rem procrastinaret, et quod defraudaret eam, prolis desiderio accensa, quia ei maritus non dabatur, ex socero Iuda libero hac arte suscipit: cum Iudas audisset in Thammae proficisci, vestes, quibus viduarum more uti solebat, exiit, meretricium ornatum induit, in bivio sedet, quid multa? Iudas illac transit, meretricem putat, ex socero nurus concipit, intumescit uterus, nunciatus ad Iudam fertur, Thamarum esse gravidam; flammis, iubeat, exurat: at cum ex armita, annulo, et baculo, quem in arithabonem existimat meretrici dederat, quid actum esset rescivisset; parit: parit Thamar geminos; Zaram vocatur unus, alter Phares, ex quo rex inclutus David, et Christus optimus maximus gignitur: dicit Iudas ergo, ait Matthaeus (c. 1.), *genuit Phares, et Zaram de Thamar*.

Haec verba versans d. Chrysostomus (ho. 2. in nat.) alia praecelara nobis tradidit, silentio minime praetermittenda. *Quid agis o homo? nobis talis recordationem infers historiae, qua adulterum turpe continetur? quid hoc vero rei est? quia, si nudi tantummodo hominis describeretur genus,*

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

*merito haec reticuisset; quia vero de Incarnati mysterio describitur Dei, non modo non taceat ista, verum ostendat debemus: sic enim magis virtus eius, ac pietas reperibit: venit enim, non ut nostra fugeret reprobia, sed ut ea potius extingueret: sicut enim admirabilis indicatur, quo mortuus tantum, verum etiam, quia crucifixus, et sepultus est, quamquam est certe res ista per se exprobratione plenissima: sed quanto magis exprobrabile illud est, tanto magis illud ostendit de misericordia gloriosius; sic etiam in generatione illius dici potest, quod non solum, quia suscepit carnem, et homo factus est, admiratione sit dignus, sed quia etiam natus, lales progenitores habere dignatus est, nihil de nostris vitiatibus erubescens; idque ex ipsis nascendi primordiis ostendit, quum nil eum pudeat omnino nostrae carnis assumptae. Doct. Augustinus (lib. 1. de Civ. Dei cap. 83. 84. 85. 86.) sublimis aliud mysterium, huic loco valde consentaneum, detexit: ait enim, quod quemadmodum Iudas, cum progrediretur ad tendendas oves suas, copulatus fuit Thamar ornatum meretricium habentis, et in signum benevolentiae dedit ei armillas, et virgam; sic Christus Dominus, veniens ad tendendas oves gregis sui, hoc est, ad spoliandos electos a vetustate peccati, tunc gentilitatis, quae ratione idololatricae meretricio, instar Thamaris, inducitur amica, se copulavit, et in signum benevolentiae dedit ei virgam spiritualis regiminis, ac coelestium charismatum armillas. Procopius Gazaeus (sup. c. 38. Ge.) aliam viam ingressus idem aperuit arcum, ad quod praestipponere oportet, quod, ut sacra Genesis historia refert, cum Thamar proxima esset partui, parauerunt gemini in utero, atque in ipsa egressione infantium, unus profluit manum, in quo obstrictur ligavit coccinum, dicens: *Iste egredietur prius; illo vero retrahente manum, egressus est alter; dixitque mulier: Quare divisa est propter te maceria? et ob hanc causam vocavit nomen eius, Phares: postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellavit Zaram: hoc supposito, ait, hunc mirabilem partum egregium symbolum fuisse vocationis gentium: nam per Zara coccinum filio notatum Hebraei adumbrantur, rubeo, et cruento circumfrentissimis signo sigillati, qui primo fuerunt vocati, alique adeo priores ad divinae legis observationem manum extenderunt, ac primogenitum nacti sunt, instar Phares; Gentiles vero posteriores, et novissimi Christo adhaeserunt, ex quibus eius Ecclesiae coalescit: ut enim dixit d. Petrus, quia Iudaei repulerunt verbum Dei, quibus ob Dei promissionem debebatur, Apostoli se converterunt ad gentes. His mysticis expositionibus addimus et nos aliam ad informandos mores non incongruam: Zaram, et Phares peccatores duos recte adumbrant, quorum alter, instar Zaram, extendit manum, insinuas velle ad Deum converti, ac de nouo renasci; facile tamen voluntate hanc retractat, et manum, quam mitere cogitabat ad aratrum, continuo retrahit; alter vero suae conversionis sitientissimus, omnium difficultatum maceriem irrumpens, de nouo in Christo renascitur, et instar Phares, viscera matris, hoc est, carnis voluptates relinquens, fo-**

ras progreditur, ut poenitentiam agat, ac regni coelestis primogenituram accipiat.

§. VII.

PHARES AUTEM GENUIT ESRON, ESRON AUTEM GENUIT ARAM, ARAM AUTEM GENUIT AMINADAB, AMINADAB AUTEM GENUIT NAASSON, NAASSON AUTEM GENUIT SALMON, SALMON AUTEM GENUIT BOOZ DE RAHAB.

Priorum verborum, Phares autem genuit Eson, non aliam pulchriorem, quam d. Chrysostomi (*super 3. cap. Matth.*) expositionem hoc loco adhibendam censui: ille enim in hunc modum loquitur: *Quoniam quidem causa, et ratione, providentiaque Dei posita sunt haec nomina, credimus maxime, cum essent hi principes generis electorum: qua autem causa, et ratione posita sunt, vere ipsi sciverunt, qui posuerunt, et Deus, cuius providentia ponebantur: nos vero quid intelligere possimus in nominibus ipsis, hic loquimur; maxime quum nullam Scripturam canonicam de istis personis habeamus; Eson enim, sicut hebraeorum sermonum nominum Interpretes dicunt, interpretatur, Iaculum videns: iacula autem sunt inimici, omnes passiones carnales, quas intrinsece diabolus iaculat in animam, et omnes tentationes adversitatum, quae proveniunt fidelibus, extrinsece iaculate diabolo. Omnes deinde homines inquit, quos, vel contra sercos eius excitat inimicus, iacula eius sunt, de quibus omnibus dicit Apostolus: ante omnia accipientes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere. Qui ergo videns est iaculum, vigilans est contra versutias inimici, et de longe prospicit iacula eius, et caecet.*

Ad haec, cum Eson interpretetur Sagitta; non incongrue dicemus, quod postquam quae ad Deum toto corde se convertit, debet esse velut sagitta ex divini pectoris pharetra emissa ad feriendam verbum, et exemplo peccatorum hominum corda. Cum autem subiicit Evangelista (*Matth. 1.*): *Eson autem genuit Aram, qui sublimis interpretatur, praemiis quidem sublimitatem, quam vir iustus id praestans, nanciscitur, non obscure denotat. Addit: Aram autem genuit Aminadab:* Hebraei doctores referunt de Aminadab, quod cum esset dux filiorum Iuda, et mare rubrum esset divisum in exitu Israel de Aegypto, nec alii, videntes aquas a dextris, et a sinistris, illud pertransire audeant, ipse primus assumpto vexillo tribus Iuda, in quo erat insigne leonis, sub cuius metaphora Iacob filium suum Iudam benedixerat, velut fortis signifer, primus ingressus est; quem postea cetera tribus ad exemplum illius intrepide subsequuta fuit; quare ex consensu totius populi ducatus ad eum translatus fuit: non dissimiliter, ad exemplum veri Aminadab Christi Domini crucis vexillum in bello illo eruento Calvariae in sublime levantis, generatio filiorum Dei, fide constans, spe nutrita, charitate firmata, obedientia prompta, confessione mundata, a vitis purgata, et a concupiscentiis separata, intrepide per mare rubrum laborum viam inveniendi pertransit, et ad terram promissam properat. Respicite, quaeso,

non dico, viros, sed pueros, ac tenellas virgines, pro Christo sanguinem fundendi sitientissimas, quomodo constanter ad martyrium properarint, et per rubeas proprii cruoris aquas ab hoc Aegypto ad coelestem patriam transitum fecerint: quibus certe non contigit, quod de illis dicitur: *Ut inveniantur illaesi in aquis calidis, terra apparuit arida, et in mari rubro via sine impedimento:* sed id accidit, quod dixit Paulus (*Hebr. 11.*): *Alii Iudubria, et verbera experti, insuper et vincula, et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occasione gladii mortui sunt: unde, rogo, in carne debili fortitudo aenea ad tot inaudita tormentorum genera perferenda, nisi ab illustrissimo illo coelestis Aminadab exemplo, qui, ut a nobis timorem expelleret, primum immensum tormentorum mare pervadere non dubitavit; adeo ut diceret Psalmista (*Ps. 68.*): Intraverunt aquae usque ad animam meam: infensus sum in limo profundo? Adit praeterea (*Matth. 1.*): *Aminadab autem genuit Naasson:* hic Naasson, ut legitur (*Num. 13.*) fuit princeps tribus Iudae in deserto; interpretatur autem, Terra promissionis filii Dei: quomodo non obscure insinuat, eos, qui per poenitentiam desertum incedunt, coelestem patriam filiis Dei promissam adepturos. Subdit deinde: *Naasson autem genuit Salmon:* hic Salmon natus est in deserto, fuitque dux eo tempore, quo Iosue terram promissionis ingressus est, simul cum Caleb, aliis exploratoribus mortuis in eodem deserto propter infidelitatem suam: fuit etiam unus ex duodecim illis, qui missi fuerunt in terram Chanaan, ut explorarent fertilitatem, et aditum eius, qui et latuit cum ceteris in domo Rahab, ne in regis Iericho potestate deveniret; et hic tandem, Iericho ante eversa, Rahab illam meretricem, seu canpanariam accepit in uxorem, ex divina scilicet inspiratione; unde addit: *Salmon autem genuit Booz de Rahab.* Inseritur ista generi electo propter virtutem, non modo suae fidei, qua credidit Hebraeis eam docentibus Dei sui maiestatem, et promissiones ab eo suae plebi factas, ut Paulus ostendit (*Hebr. 11.*), sed et propter hospitalitatem, qua extraneos excepit, et insidiis pergitos, et in discrimine vitae positos conservavit, ut habetur Iosue (*e. 2.*). Nec obest, quod a Iacob vocetur meretrix (*e. 3.*) et in *lib. Iosue*, nuncupatur Zonah, quae meretricem, et aliquando capponariam sonat; quia, ut ait Nicolaus de Lyra (*in Matth.*), *quod dicitur meretrix, non obstat, quia hoc erat tantum ipsis cognomen; et ideo non oportuit, quod esset talis secundum rem; sicut aliquando e contrario aliquis pauper rusticus cognominatur nomine regis, etsi rex non sit. Hebraei etiam dicunt hospitalitatem, ubi nos habemus meretricem.* Resolvit et aliam questionem Lyranus: qui fiat, ut Salmon princeps tribus Iuda in uxorem duxerit mulierem Chanaanem, praesertim cum filiis Israel omnino prohiberetur (*Deuterom. 7.*), ne quam ex illo populo in coniugem acciperent? respondet, hoc eis prohibitum fuisse, ne per Chanaanecos a Dei veri cultu averterentur, et ad idola deflecterent, ut lex ipsa exprimit: quod si ex illo populo aliquis veram fidem admittet, et profleretur, et quid magnum e-*

gisset, ex quo suam fidem protestatus fuisset, tunc et ille populo Dei inseri poterat; quemadmodum et Rahab factum est ob causas, quas diximus.

§ VIII.

BOOZ AUTEM GENUIT OBED EX RUTH, OBED AUTEM GENUIT IESSE, IESSE AUTEM GENUIT DAVID REGEM, DAVID AUTEM REX GENUIT SALOMONEM EX EA, QUAE FUIT URIAE.

Haec Ruth venit cum Noemi a terra Moab in terram Iuda, quam Booz accepit in coniugem, eo quod esset propinquus priori marito Ruth, filio Noemi sine prole defuncto: quamvis enim illicitum fuerat Israelitis contrahere cum Moabitibus; et propter disparem cultum contractum non esset verum matrimonium; haec enim ratione Esdras abiicit a filiis Israel uxores earum moabitibus (*Num. 13.*), nihilominus tamen, ubi illae ad iudaismum conversae sunt, et unius Dei cultrices, et in quotidiana conversatione insignes evaserunt, tunc illas in uxores accipere permittitur. Alqui talis erat Ruth, humilis, et obsequentissima in omnibus: unde et Booz dixit ad eam (*Ruth 3.*): *Sciit omnibus populus urbis meae, mulierem te esse virtutis:* Chrysostomus (*hom. 3. operis imp. in Matt.*) ait: *Idcirco vero, et Ruth, et Rahab mentio facta est, ut disceres, ideo Christum venisse, ut mala nostra deleteret omnia: non enim quasi iudex, sed quasi medicus advenit.* Sicut igitur hic olim meretricem, ille alienigena in uxorem accepit, sic etiam Christus fornicatricem hominum naturam sibi copulavit. Quod Prophetae quoque olim Synagoga factum esse dixerant, ista quidem cohabitatori suo semper fuit ingrata; Ecclesia vero semel a malis suis liberata, in Sponsi amore permansit. Sed et considera etiam ea, quae in Ruth facta sunt, nostri figuram fuisse; haec enim erat alienigena, et in extremam delapsa pauperiem; sed videns eam Booz, nec ob ipsius paupertatem despicit, nec ob impietatem gentis exhorruit: sicut etiam Christus Ecclesiam suscipiens, et alienigenam, et magnorum oppressam egestate bonorum suo consortio copulavit: sed quemadmodum Ruth illa ex alienigena muliere, nisi prius reliquisset parentes, nisi domum contempsisset, et patriam, atque cognatos, nunquam profecto tali fuisset nobilitate connubio; ita et Ecclesia etiam, non ante amabilis efficitur Sponso, quam priorem conversationem relinquat. Quod Propheta quoque ad ipsam loquens ait (*Ps. 44.*): *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui; et concipiet rex decorem tuum.* Prosper Aquitanicus (*lib. de prom. et praed. p. 2. c. 15.*) ex gratia filii collata Rahab colligit spem salutis dari fornicatrici animae poenitentis; sic enim Matthaeo attestante, publicani, et meretrices pharisaeos praecedent in regno Dei: et Osae prophetae (*e. 1.*) iubetur, mulierem accipere fornicariam, atque ea ex procreare filios, ut sit iam uxor, atque paulo ante fuerat meretrix, habeatque filios quae studebat filios non habere; nec iam libidini, sed suscipienda serviat proli. Subdit deinde

(*Matth. 1.*) *Obed autem genuit Iesse:* cum certum sit, patrem Davidis binominum fuisse, cum vocaretur, *Iesse et Isai:* vulgatusque nomen esset, et frequentius Isai, non potest carere mysterio, quod sacer Evangelista non Isai, sed Iesse, illum nominaverit. Ego quidem arbitror, Matthaeum imitatum fuisse Isaiam prophetam dicentem (*cap. 11.*): *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet:* ut sic exprimeret generationem Christi, quam enarrabat, antiquis prophetarum vaticiniis consonam esse. Deinde etiam, quod cum Iesse significet incendium, pariter comonstravit, humanam Christi generationem non alienam, tanquam a primo principio ortum habuisse, quam ab ardenti divini amoris incendio, quo sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Adit: *Iesse autem genuit David Regem,* qui praeceteris fratribus etiam minimus a Deo selectus est, non modo, quem populo suo regem constitueret, sed et a quo Christus nasceretur: hic est, quem Samuel unxit in regem (*1. Reg. 16.*), qui tot insidias perterrita Saule, cui Dominus hoc testimonium perhibuit, ut diceret (*Act. 13.*): *Inveni David, virum secundum cor meum:* hic optimum se regem praebuit, non aliena rapuit, non ex saepe voluntatis temerario decreto, sed Dei oraculo omnia insituit; nisi quod, ut humanum esset peccare, et alterius uxorem concepit, et virum occidi curavit, et populum suum punire voluit: sed his flagitiis, aut ipse sibi poenam inflixit, aut a Deo inflictam patienter pertulit. Itaque ille propter excellentiam sanctitatis *rex* inter ceteros solus nuncupatur, nec enim tam faciam regem sceptri, et coronae, quam illarum rerum significationes, nimirum, ut sit pietate, iustitia, et vitae sanctimoniam insignis. Subdit Evangelista (*Matth. 1.*): *Salomonem ex ea, quae fuit Uriae:* quamvis Evangelista facile potuisset dicere: *David autem genuit Salomonem ex Bethsabae,* consulto tamen dixit, *ex ea quae fuit Uriae,* a dulteriorum eius in memoriam nostram revocans, ut sub praetextu secreti neco peccandi licentiam sumat, quantumcumque ad magnam dignitatis culmen evehctus sit. Certe Cain existimabat, fratricidium, quod in fratrem suum Abel commiserat, secretissimum, et occultissimum esse; ad repente praeter eius opinioem insonat clamor de coelo dicens: *Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra:* ac si diceret: quamvis non adsint oculati testes enormissimi tui delicti, quia in agri solitudine illud patrasti; tamen effusus sanguis, instar praecociis est, et loquacissimae linguae homicidium (tuum divulgans). Lascivi etiam illi senes babilonici, impunes sceleres, quod contra Susannam tentarant, abituros falso sibi blandiebantur, quia non alii aderant testes, quam fontes, et arbores illius horti, in quo Susanna comprehenditur: cum res tamen videbatur magis incognita, et sub secreti latebris, et involacris abscondita, tunc movit Deus linguam eiusdem infantis, lasciviam eorum, ac falsum testimonium, quod castae Susannae impugnerant, cuncto populo prophanis. Ac tandem rex David falso putabat, adulterium,

et homicidium eius nulli esse manifestum, propheta tamen Nathan acrior cum increpavit, dicens (2. Reg. 12): *Uram percussisti, et axorem illius accepisti*; sed non contentus Deus hoc genere publicationis, iubet sacro evangelistae Mattheo, qui omnem testimonio universo orbi contestatum relinquat, regis Davidis homicidium, et adulterium, ut intelligant principes: *Nihil occultum, quod non reveletur* (Matth. 10); Evangelista dicente (Matth. 1): *David autem rex genuit Salomonem ex ea, quae fuit Uriae*.

Sed iam de Salomone, quem genuit David, nonnihil dicamus, ut ad praesens institutum spectat. Salomon rex inclutus, ac sapiens, qui magnificentus est super omnes reges terrae, tria secundum Hieronymum (in princ. Eccles.) sortitus est nomina: primo vocatus est *Salomon*, id est, *pacificus*, et hoc fuit vulgatum nomen: secundo vocatur *Cocheleth* hebraice, graece autem *Ecclesiastes*, latine *Concionatorem* dicitur: tertio dicitur hebraice, *Iedidia*, vel *Hidida*, latine *Amabilis Domino*, vel, *dilectus Deo*: quod nomen non humana industria, sed divino afflatus fuit impositum: unde LXX. dixerunt, in verbo Domini sic vocatum fuisse, per hoc significante Spiritu sancto, tale nomen non tam ipsi convenire, quam illi, cuius gerebat imaginem, scilicet Christo, cui et reliqua omnia mirifice conveniunt: nam Salomon dicitur *pacificus*; et Christus est, qui pacificavit per sanguinem crucis eius, *sive quae in coelis, sive quae in terris sunt* (Coloss. 1): ipse etiam *Ecclesiastes* noster est, qui *evocavit nos vocatione sua sancta*: ipse tandem est *filius paternae dilectionis*, de quo Pater ei in baptismo, et in transfiguratione testimonium perhibuit dicens (Matth. 3. 17): *Hic est Filius meus dilectus*, in sollicita etiam cura aedificationis templi, quam adhibuit, perspicue extitit figura Christi, qui aedificavit Ecclesiam, quae domus Dei est; fuit etiam Christus plenus gratia, et veritate, quae sunt sapientia, et divitiae spirituales illius.

§. IX.

SALOMON AUTEM GENUIT ROBOAM, ROBOAM AUTEM GENUIT ASA, ASA AUTEM GENUIT IOSAPHAT, IOSAPHAT AUTEM GENUIT IORAM, IORAM AUTEM GENUIT OZIAM, OZIAS AUTEM GENUIT IOATHAM, IOATHAM AUTEM GENUIT ACHAZ, ACHAZ AUTEM GENUIT EZECHIAM.

Roboam genuit Abiam ex filia Absalonis, fratris sui, quam secundum legem habere non potuit, propter cognationis propinquitatem; et hic etiam a Domino declinavit (3. Reg. 11): et tamen memor Dominus pacti, quod cum Davide inierat, protexit Hierosolymam, et tribunal Iuda, ne et hic Ieroboam ephrataeus dominaretur, qui iam sibi decem tribus subiecerat, et regiam sedem in Samaria consisterat, ut habetur 2. Par. cap. 13. Hic uxores habuit quatuordecim, ex quibus habuit vigintiduo filios, et sexdecim filias. *Abias autem genuit Asa*: et hic primum quidem Domino Deo Israel adhaesit, imitator factus Davidis patris sui; sed trigesimo regni sui anno, cum Basa, rex Israel,

contra illorum exercitum irruisset, ille, iam quasi de minus Dei omnipotentia diffidens, non ad eum conversus est, sed a rege Syriae auxilium imploravit; quo factum est, ut Anania propheta illum graviter increparet; ille vero in scelus delictus seipsum concitans, prophetam nervo adegit: neque, cum tandem gravi morbo laboraret, ad Dominum reversus est; sed medicorum industriae sese totum commisit (2. Paral. 11. 15. et 16): quo monemur, ne ad hominum potentiam, aut artem, etiam in quavis necessitate positi, prins, et potius, quam ad Deum confugiamus: *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius*, inquit Christus (Matth. 6), et haec omnia adiciuntur vobis. *Maledictus homo, ait Jeremias (e. 17), qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum.*—*Asa autem genuit Iosaphat*: est hic in Scripturis celeberrimus ob suam in Deum fiduciam, ad quem in necessitate posito recurrere, et clamare debere, docuit: hoc solum illi labem inussit, quod cum Achab impio rege Israel foedus contraxit: interim tamen pseudoprophetae aversatus est, et Michaeam prophetam Domini plurimum fecit. Sed inter haec plures fecisse videtur hominum favorem, quam Deo legem; ad eorum instar, qui putant se pacem nasci, si, cum in auctoritate constituti fuerint, homines sibi amicos, etiam cum divinae legis dispendio, faciant. Rursus enim cum Ochozia filio Achab amicitiam inivit, et expropter corruptus est ab Eliezer propheta, filio Dodam de Maresa. *Iosaphat autem genuit Ioram*: virum impiissimum, qui Athaliae filiam Achab, et Iezabel sumpsit in coniugem, cuius consilio plurima scelera operatus est: induxit enim in Jerusalem fornicationes Iezabelis, et impietates Achab: occidit et omnes fratres suos, filios Iosaphat: unde et a Domino digna factis supplicia accepit (2. Paral. 21). Ita videmus, a probis parentibus filios degeneres effici, si cum impiis consuetudinem habeant: *Corrumpunt enim bonos mores consortia*, sicut et colloquia prava. Hinc caveat quisque, cui mulier filium in virum collocaverit, et e converso, ne forte, quod debet iniri in sacramentum Christi, et Ecclesiae, contra Christum, et Ecclesiam directe militet. *Ioram autem genuit Oziam*: omittunt tres reges intermedii; Ioram autem genuit Ochoziam, Ochozias autem Iosaphat, Iosaphat autem Ioram, alio nomine vocatum Azariam, cuius tempore Isaias prophetae orsus est: itaque tres illi omittuntur, Ochozias, Iosaphat, et Amasias; ut iuxta sententiam Hilarii (can. 1), Chrysost. (ho. 3. in 1. Matth.), et Hieron. (in e. 1. Matth.) posteritas Ioram, quae fuit ex flagitiosissima muliere Iezabel, excluderetur; et ideo tolluntur eius filii usque ad quartam generationem, iuxta illam Domini sententiam (Exod. 20): *Ego Dominus zelotes, et vindicans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, et quartam usque generationem*. Altera scilicet ratio notanda a Hieronymo assignatur, nempe, id consilio factum ab Evangelista fuisse, eo quod, cum propoisset omnes generationes, ter per quatuordecim dividere, ita ut a Davide usque ad transmigrationem Babylonis quatuordecim assignaret, et occurrere sibi vidisset decem, et septem generatio-

nes, ideo factum est, ut tres istos, velut indignos, et quasi superfluos recideret, et ad Oziam deveniret, qui primum, quod rectum erat in oculis Domini, fecit, nec Iezabelis impietatis sibi se addidit; at vero postquam firmata sibi in regno omnia vidit, superbia inflatus, Dominum contempsit, et ingressus templum, thos adlere voluit super altare thymamatis, ubi quam praesumptionem lepra percussus est a Domino, ut legimus 2. Par. c. 26: nec enim Azariae dehortanti acquievit; quin potius minas adiecit, ni se id numeris exequi pateretur. Dionysius Areopag. (in epist. ad Demophilum monachum) hoc exemplum usurpat in eos, qui temere sese sacris altaribus ministeriis ingerunt; nec enim id licet omnibus, neque regibus, cum distincta sint regis, et sacerdotis officia, ut docet Chrysost. (lib. 3. de sacerdot.).

Verum, antequam ulterius progrediar, perpende, quaeso, quomodo, quia Ioram miscuit sanguinem David, religiosissimi regis, cum sanguine impiissimi Achab, idolorum cultoris, ideo filii eius non recenserunt cum aliis regibus, qui id non fecerunt: ipse autem numeratur, quoniam filius fuit optimus regis Iosaphat: ex quo infero, quantum nocet impiis misceri: ex quo infero, quantum nocet impiis quidpiam mali tibi continget, Salomone dicente (Eccles. 13). *Qui tetigerit picem, inquinabitur ea, et qui communicaverit superbo, induet superbiam*. Ob hanc rationem lex vetus leprosus arcebat a societate ceterorum, ne alii sane inficerentur ab eis. Proverbum antiquum fuit: *Aliquid mali ex vicino malo*: quare, cum praeco haereditatem quandam publicaret, quam dominus fundi vendebat, multaque bona de ea dixisset, utilitatesque eius proclamasset, audiens Alcibiades, dixit: *Die inter ceteras commoditates, bonum etiam habere vicinum*: atque huc facit illud (Num. 16): *Recedite de tabernaculis impiorum, ne involvamini in peccatis eorum*: cui consonat aliud Sapientis (Eccles. 13): *Quid communicabit cubabis ad ollam?* quasi dicat: nihil certe, nisi quidquam nocentium, si se colliserint; unde in Levit. c. 13 dicitur: *Ne tangas morticinum, ne polluaris, usque ad vespertim*, id est, usque ad tempus mortis, per vespertim significatum; ac tandem Paulus dicebat (2. Cor. 6): *Denunciavimus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut abstinatis co ab omni fratre inordinate ambulante; et non secundum traditiones, quas accepistis a nobis*. Ozias autem genuit Ioatham, qui rexit palatium, patre eius propter lepram seorsum habitante. Hunc Ioatham, scribit Hieronymus in Isaiam, fuisse iustissimum: correptione enim patris cautiore evasit. *Ioatham autem genuit Achaz*, a hominibus impiissimum, qui declinavit ad impietates regum Israel: crexit statuam Baal, iis incensum obtulit, Iustravit igni filios suos; et praeter antiquas Iezabelis fornicationes, e Damasco effigiem altaris idoli sibi offerri voluit, et ad instar illius aliud effingit. Hic confregit, et diripuit vasa domus Domini, templum clausit, et in omnibus angulis Hierosolymae alienis, et prophanis diis aras exstruxit; ideo Deus magnis illum bellis premi permisit: sed tamen adhuc ei misertus est, prop-

ter foedus suum cum Davide: propterea enim ad eum Isaias missus est, qui auxilium a Domino polliceretur, eo praecipue nomine, quod sibi domum conservare vellet, et ex illa Messiam mittere, qui omnem satanae virtutem comprimeret. Unde factum est, ut Achaz ridende Deum, et Prophetam, ille tamen subintravit in populi Iudaei consolationem (Isai. 7): *Audite ergo domus David: Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ecce Virgo concipiet, et pariet Filium*: praeterea, ut Achaz domus non rescissus sit, sed adhuc ei filios nasci voluerit, ne scilicet spes futuri Messiae subvertatur esse videtur. *Achaz autem genuit Ezechiam*: qui tantum apud Deum gratiam nactus est, ut ipse (in lib. Reg. 16. 18. et 31) legatur, quod nec ante eum, nec post eum aliquis ei aequari possit. Hic est qui magna bonae conscientiae fiducia sic ad Deum orare ausus est (Isai. cap. 38): *Memento, Domine, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis, feci*: in eo contemplantur possumus mirabile maii regis exemplum, ut in tribulatione, et angustiis opprimentium se constituit, in Dominum sua vota, et omnem suam spem contulerit, et gravi morbo in lecto decumbens, supplicium ad Deum orationem fuderit; ex quo factum est, ut et eius aetati alii quiddecim anni adderentur, et ipse, et universa Hierosolyma divina manu ab Assyriis eriperetur. Voluit autem Deus ita eius vitae dies longiores reddere, ut filium haberet, et ita spem illius confirmaret de Messia ex suo semine nascituro, ut legimus 2. Par. cap. 29. Expropter etiam ei in horologio signum datum est, sole decem lineis, per quas descenderat, retrocedente: typus enim erat Christi, veri iustitiae solis, qui decem lineis retrogredi visus est, cum paulo minus ab angelis minoratus, novem ordines ipsorum transgressus, ad hominem, qui in decima velat linea constitutus erat, venit.

§. X.

EZECHIAS AUTEM GENUIT MANASSES, MANASSES AUTEM GENUIT AMMON, AMMON AUTEM GENUIT IOSIAM, IOSIAS AUTEM GENUIT IECHONIAM, ET FRATRES IUSIAS IN TRANSMIGRATIONE BABYLONIS: ET POST TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS IECHONIAS GENUIT SALATHIEL, SATATHIEL AUTEM GENUIT ZOROBABEL, ZOROBABEL AUTEM GENUIT ARIUD, ARIUD AUTEM GENUIT ELIACIM, ELIACIM AUTEM GENUIT AZOR, AZOR AUTEM GENUIT SADOCH, SADOCH AUTEM GENUIT ACHIM, ACHIM AUTEM GENUIT ELIUD, ELIUD AUTEM GENUIT ELEAZAR, ELEAZAR AUTEM GENUIT MATHAN, MATHAN AUTEM GENUIT IACOB.

Manasses a maiorum suorum virtute valde degeneravit, et omnium superiorum regum, immo et gentium flagitia superavit (2. Paral. 33): hic Isaiam ligna serpa dissecati iussit, ut scribit Epiphanius libro de vita, et exitu prophetarum; prophetae Domini persequutus est,

et nihil non tentavit, quod facere putaret ad penitus subvertendum Dei unius cultum: sed quia vexatio dat intellectum, Deo vindicantem eius scelera, cum a rege Assyriorum captivus, et compediibus constrictus teneretur, tunc Dei iusta iudicia cogitans, et priora scelera perpendens, poenitentiam egit, et corde contrito, et abiecto ad Dominum clamavit, qui, ut in poenitentis benignus est, Manassem eripuit, et ad regnum reduxit. In eo vides, quantum sit tribulationis bonum, quae hominem, aliquo divini muneris contemplorem, et hominum oppressorem, superbum, et arrogantem humiliat, et ad mentem reducit; unde filii, ut cooperate Dei gratia, ex tribulatione purior emergat. *Manassem autem genuit Ammon*: qui, etsi paterna malitia imbutus, et Manassis impietates sequutus sit, non tamen sicut ille poenitentiam egit. *Ammon autem genuit Iosiam*: in eo pietas Davidis, et Ezechiae refluunt, ut habemus 2. Par. cap. 34: hic legem, et religionem fere collapsam reslituit: huius temporibus liber divinae legis per Moysen manum traditus, et in templo absconditus, repertus est, quem rex cum Dei timore accepit, et supplicem ad Deum orationem effundi iussit, ne iracundiae suae flagella in plebem israeliticam suorum mandatorum praevaticaricem immitteret. Hunc etiam pridem apud Ieroboam per prophetam suum Dominus promiserat (3. Reg. 13): stante enim Ieroboam super altare Bethel, et thus iaciente, exclamavit Propheta in sermone Domini: *Altare, altare, haec dicit Dominus: ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine, et immolabit super te sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, et ossa hominum super te incendet.* De huius laude scriptum est (Eclesiast. 49): *Memoria Iosiae in compositionem odoris, facta opus pigmentarii. In omni ore, quasi mel indolcabitur eius memoria, et ibi musica in convivio vini; occisus est autem a sagittariis Phamonis Nchaj regis Aegypti, quem Ieremias maxime deploravit. In eo videntur principes, quo zelo religionem tuam, pseudoprophetas persequi, Dei legem admittere, et templum Dei curare debeant. Iosias autem genuit Iechoniam, et fratres eius in transmigratione Babylonis: id non ita intelligendum est, quasi Iosias in ipso exilio filios genuerit, cum nec in Babylone abductus fuerit, nec transmigratione illa temporibus eius confugerit; sed, quod illa iam imminente filios habuerit, aut quod in Babylone posteritas eius abducta sit. Ceterum videtur Iechoniam non fuisse filium Iosiae, sed nepos ex patre Iochaim (ut constat ex 3. Regum 13), filio Iosiae, qui hic omittitur, satis aliquo notus ex historicis, et prophetis libris: nam et (1. Paralip. 3) haec leguntur: *Fili autem Iosiae fuerunt, primogenitus Ioanan, secundus Iochaim, tertius Sedechias, quartus Sellum, De Iochaim natus est Iechonias, et Sedechias: erat igitur Iechonias non Iosiae, sed Iochaim filius. Epiphanius (lib. 1. contra haere.)* binominum fuisse Iochaim putat, dictum scilicet Iechoniam esse, a quo et filius tale nomen sortitus est: porro (3. Esdr. 4.) Iochaim vocatur Iechonias, qui tribus tantum mensibus regnavit in Ierusalem, ut ibi dicitur (2.*

Paralip. 36): *Amoicit autem cum rex Aegypti, cum venisset in Ierusalem, et condemnavit terram centum talentis argenti, et talento auri. Constituitque pro eo regem Eliachim, fratrem eius super Iudam, et Ierusalem, et vertit nomen eius, Iochaim: ipsum vero Iochiaz tulit secum, et abduxit in Aegyptum. Viginquingentes annorum erat Iochaim, cum regnare coepisset, et undecim annis regnavit in Ierusalem, factique malum coram Domino Deo suo. Contra hunc ascendit Nabuchodonosor rex Chaldaeorum, et vincitum catenis duxit in Babylone. Liber etiam Hebraeorum, Seder olam Zutà, Iochaim, et Iechoniam eadem sonare ostendit, cum filium Iochaim, vocet etiam Iochaim, seu Iechoniam, haec enim habet: Iochaim patri Iosiae successit, tribus mensibus: Iochaim superioris regis frater regnavit annis undecim, et regni tertio anno captivus factus est a Nabuchodonosor in vinculis, ut impletur ista Ieremiae: *Sepultura asini sepelitur*: post patrem Iochaim, regnavit Iochaim, sive Iechonias tribus mensibus, et diebus decem: traxit autem illum in exilium Nabuchodonosor cum octodecim millibus, Sedechiamque patrum eius, filium Iosiae in locum eius suffecit. Ex his colligimus, fratres Iochaim, seu Iechoniae omnes in exilium abducos, aut a rege Aegypti, aut a Nabuchodonosor, rege Babylonis; et illo quidem occiso, filium tandem eius, eiusdem nominis, Iochaim, seu Iechoniam, cum videtur se denuo, et urbem Ierosolymam obsideri a Chaldaeis, consilio Ieremiae, tradidit se regi Nabuchodonosor; et hic quidem proprie dicitur transmigratione in Babylone, ut scribit s. Thomas (lib. Comment. in Matthaeum) et ille est, de quo dicitur: *Et post transmigrationem Babylonis Iechonias genuit Salathiel*: Magna tum populo Dei clades, magnae principibus a Deo persecutionis imminabant, cum extraneo robore libidini subicerentur: nec interim tamen Deus passus est, semen Iuda, et domum David rescindi, etiam ipsis regibus in Babylone abductis (Isai. 1): *Nisi enim Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissetis, et quasi Gomorraha: quae rerum vices, et reipublicae Iudaicae, simul et regii status eversio, non aliunde evenit, quam a Dei, et religionis contemptu, a principum tyrannide, a seditione populi, a civibus bellis, et a contracto cum prophanis hominibus foedere: ideo exclamat Ieremias (c. 22): Numquid vas fictile, atque contritum vir iste Iechonias? Legimus (1. Paral. 3) Iechoniae filios fuisse Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaiam, Semezer, Iecemiam, Samam, et Nadabiam: etsi autem in ipso exilio geniti sunt, posteritas tamen superfuit eo tempore, quo liber in Palaestinam populus egressus est. Aut sic intelligendum, quod genuerit Salathiel, ut legitur in contextu graeco, id est post deportationem in Babylone, seu postquam ipse, et populus in Babylone reductus est. Chronicon Hebraeorum, Seder olam Zutà, narrat Sedechiam abducto, ne illum quidem relicto esse de familia Davidis, praeter illum Iechoniam, filium Iochaim, quem antea Nabuchodonosor in exilium duxerat, ita illum a postrema clade gentis hebraicae, quae diebus Sedechiae cingit,**

securum reddidit. Frequenter enim accidit, ut si quo malo primum premamur, ab immineant immites, cautes efficiamur; ut enim ait Provberium: *In quibusdam mala profuerunt*, observat hoc Chronicon, tres transmigrationes in Babylone, primam sub Iochaim filio Iosiae, secundam sub Iechonia eius filio, tertiam sub Sedechia, qua Nabuchodonosor abduxit Iuda et patris sedibus: tum videbantur spes nascitur Messiae decidisse, occisa omni familia David, cum tamen existerent triginta octo cognationes, nisi Dominus Iechoniam olim captivum, et in quem inimicorum furor deferuerat, reservasset. Ac, ut prosequar ex Seder olam, imperium quidem obtinuit Nabuchodonosor, usque ad annum trigessim septimum exilii regis Iechoniae: post eum mortuum, Evilmerodach filius eius imperavit annis viginti tribus: is anno primo regni sui eduxit Iechoniam de carcere, qui postea discessit de vita, Sedechia iam mortuo. Hanc Iechoniam virum fuisse sanctissimum, tradunt nonnulli, quique continentis apud Deum precibus pro populi sui liberatione egerit. Porro Salathiel filius Iechoniae, ut quidam narrent sapientes, in captivitate erat, imperante tribus annis Balthassare.

Hinc oportet deducamus illud magni momenti documentum, nimirum, infallibiles esse divinas promissiones, nec aliquo unquam casu impediri posse: captiva fuerat tribus Iuda, ex qua Christus secundum carnem procedere debuit, atque translata in Babyloniam, sterilis remanserat domus David, ac veluti extirpata, et emortua, quibusdam captivis, aliis extinctis. Cum ergo videretur radix Iesse velut evulsa, ac emortua, quia tamen radices suas fixas habebat in firmis Dei promissionibus, etiam post transmigrationem Babylonis denuo germinare, ac florere incoepit, ut eleganter Isaias propheta (c. 11) nobis insinuavit: nam, cum per aliquot capita praecedentia hanc domus David eversionem praedixisset; cum iam extincta, ac penitus evulsa putanda esset, ecce subito, ac improvise, rursum quasi vigilans Propheta dixit: *Et egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet: ac si patenter dicat ne putetis, prorsus extinctam radicem Iesse, etiam si et tribum suam in alienigenas transmissam, reges suos interfectos (2. Cor. 1), ac captivos, absque regis culta, ac nomine remansisse videatis, quoniam fidelis est Deus, et seipsam negare non potest; et ideo (Matth. 5), nec iota quidem, aut unus apex ex omnibus, quae promiserat, praeterire poterit: unde ex his mancipiis, ex his captivis, ex his quasi obliivioni datis regum filii, rursus virescit radix Iesse, erumpetque flos de trunco eius: sicut enim non semel vidimus, salicem longe aliquando ab aquis, ac fontibus esse plantatum, tamen subterraneas, et aridas radices emittit, quae cum ad ripas fontis appulerint, ibi virescere, et germinare incipiunt; sic arbor ista de domo David, cuius radices, quae pene emortuae videbantur, at paulatim, quasi sub arenis captivitate, servitutis, et adversae fortunae, tandem ad fontem pervenerunt, et praefluer humanam spem rursus gratissimo virore pullularunt. Ibant enim omnes illi prisci Patres, velut sub*

terra, ac siccis arenis, per legem veterem, per deserta, per exilia, atque varia discrimina rerum proferantes, tamen in dies magis radices ad fontem, hoc est, beatam Virgineum, fontem signatum, ac puteum aquarum viventium (Cant. 4), appropinquarunt: unde factum est, ut cum domus David oblita, ac sepulta videretur, alienigena Herode regnante, cum paupercola esset Virgo de domo David, fabro cuidam pauperi desponsata (Matth. 1): *Iacob autem genuit Ioseph virum Mariae: in ea rursus coepit pullulare, et virescere radix haec emortua Iesse, ut Isaias (c. 53) praedixerat: Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra siliensis: hoc est radix, quae de captivitate venerat, rursus pullulabit, ac crescet, quousque ad fontem perveniat, ex quo nascatur Christus, qui ex illa radice promissus erat. Id mihi Iob (c. 14) insinuasse videtur, cum dixit: *Lignum habet spes: si praecium fuerit, rursus virescit, et rami eius pullulant; si senuerit in terra, rursus erigitur, et in pulvere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquae germinabit, et faciet comam, quae cum primum plantatum est: certe arbor haec generatio Christi, licet habuerit quasi emortua in captivitate Babylonis eius radices, tamen quia illae divinae promissioni firmabantur, tandem copiose adeo germinavit, ut faciat comam, quasi cum primum plantata fuit, hoc est, ut non minore claritatis splendore, sed multo maiore per Mariam Christum germinantem obtinerit. Salathiel autem genuit Zorobabel (Matth. 1), cuius praecio in libris Esdrae (cap. 3) narratur: ut ad eius quippe petitionem Darius rex Persarum liberum Iudaeis in terram suam reditum fecit: de quo etiam (in Eclesiast. c. 46) dicitur: *Quomodo ampliorem Zorobabel? ipse enim, quasi signum in manu dextera Israel: et apud Aggaeum (c. 2): In die illo, dicit Dominus, assumam te, Zorobabel, fili Salathiel, serve meus, et ponam te, quasi signaculum, quoniam te elegi: hoc dicit populus laetus ab exilio remigravit. Zorobabel autem genuit Abiad: hoc recedere videtur a 1. Paral. 3, ubi legitur Zorobabel tres filios habuisse, Mossalam, Ananiam, et Salomith; Salathielis autem nulla fit mentio. Sed solvit Lyranus, quod Abiad uno nomine intelligi potest, ut qui ad aliorum multorum instar binominus fuerit; vel quod non omnes hic in Paralipomenon Zorobabelis filii expressi sint; aut quod Abiad recessus fuerit ab Herode, ut regia successio rescinderetur; aut quod Matthaeus divina ratione, aut arcana traditione intellexerit, hunc etiam fuisse Salathielis filium, e quo Ioseph originem traxit. Sunt qui Ananiam, illum esse censent, qui post Messolam obtinuit principatum. Abiad autem genuit Eliachim: illum forte, quem Nehemias primo loco inter sacerdotes enumerat; aut eum, quem liber Seder olam Zutà Barachiam nuncupat. Eliachim autem genuit Azor, Azor autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achin, Achin autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Iacob: de his canonicis Scripturis nulla fit mentio, quod illae, id est historiae, fuerint antiquiores; et quod, si quae tandem editae sunt, quae illos seu regalis, seu laedicae tribus success-***

siones exprimerent, temporum iniuria perierunt. Narrant enim Africanus (in *epist. ad Aristidem*), quam supra citavimus, Eusebius Caesariensis, et post eum Nicophorus locis supradictis, Herodem id curasse, ut catholici successiones regalis cremarentur; verum nec tam praevaluit eius inquisitio, ut non interim aliquid apud quosdam scriptum, aut traditione mandatum superasset, ex quo Mathaeus haec, sed maxime ex divina revelatione, collegit.

§. XII.

IACOB AUTEM GENUIT IOSEPH, VIRUM MARIAE, DE QUAE NATUS EST IESUS, QUI VOCATUR CHRIS- TUS.

Antequam verba haec elucidare aggrediar, oportet prius reddere rationem, quare Christus Dominus voluerit non solum ex sceleratis progenitoribus, tam viris, quam foeminis ortum ducere, sed et has in eius genealogia expresse nominari. Rationes Patrum primum proferam, deinde quas nos excogitavimus. D. Augustinus (l. 22. *contra Faust. c. 64*) impugnans Manichaeorum haeresim asserentium, Christum non habuisse verum corpus humanum, originem ducens ex foeminis peccatricibus, haec singularem rationem reddidit in his verbis: *Isti haeretici ignorant veracissimum, et verissimum Salvatore nostrum, non solum loquendo, sed nascendo magistrum extitisse; etenim fideles congregandi erant ex omnibus gentibus, et ita ex generatione Christi discere debuerant, parentum iniquitatem sibi non esse, iuxta illud Ezechielis (c. 18): Non occiderunt patres pro filiis: et illud Deut. (c. 24): Unusquisque onus suum portabit. D. Hieron. (super c. 1. *Math.*), et Christianus Bruthmarus in Comment. huius loci asserunt, propterea de peccatoribus Christum Dominum nasci voluisse, ut pro redimendis peccatoribus se venire proferretur. Verba d. Hieron. haec sunt: *Notandum est, in genealogia Salvatore nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas, quas Scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleat: haec ille. Quibus non dissimilia sunt, quae tradit Christianus Bruthmarus, dum ait: Quare peccatrices mulieres commemorantur in genealogia Domini, et non iustae, ut Sara, Rebecca, et aliae, quae sibi multae fuerunt, ut mater David, et Iosaphat; sed propterea illae peccatrices mulieres ponuntur, ut ostendantur, illum, cuius genealogia est, propter peccatores venire; sicut ipse dicit: Non veni vocare iustos, sed peccatores; et ut nullus peccator desperaret, conerit ad Dominum. Atque hinc est, quod ut observat d. Augustinus (lib. 22. *cont. Faust. cap. 64*), in illo sacrificio agni paschalis, quod praecipitur Exod. 12, haedus simul, et agnus immolabantur, ut colligitur ex (Math. 25): pro agnos significantur boni, et pro haedus peccatores, ut intelligeremus Christum, qui significabatur pro hoc sacrificium, ex bonis, et malis originem duxisse, et pro utrisque immolandum fuisse: nec enim peccatores horret rex, ac legifer noster Christus, sed intelligant gentes, et peccatores se ius ad Chri-**

stum habere. Horrebant Isaac, et Jacob, filios peccatricibus iungere, ne eorum haereditas ad alienos transiret; noster autem verus Isaac, ac Jacob etiam peccatores penitentes amplectitur, cohaereditque cum sui populi haereditibus facit, quippe qui eius haereditas etiam in plures distributa nequaquam minor fit. Sed dicamus aliter, Christum Dominum mirabilem se voluisse ostendere, dum non solum a regibus, et patriarchis, sed et a peccatoribus, quod mirabilius est, nasci decreverit, ut non obscure insinuasse videtur Isaias, dum de illo praedixit (c. 9): *Vocabitur nomen eius admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri saeculi: admirabilis quidem, quia a regibus, qui iniuriarum accerrimi ultores esse solent, oriens pacificus rex nobis factus est (Math. 21): Ecce rex tuus venit tibi mansuetus: admirabilis, quia a patriarchis originem ducens, eorum omnium patriarcha nascitur. Deinde illud sane dicitur admirabile, quod non secundum naturae cursum filii, aut, quod raro contingit; unde sicut Christus Dominus admirabilis dicitur, non solum, quia totam facultatem naturae transcendens, portentosa miracula fecit, sed multo magis, quod mortem obierit, cum insolitum sit, et raro contingens, principem pro subditi morte oppellere: sic etiam, et ob haec rationem ipse admirabilis merito nuncupari debet, non solum, quod homo factus, sed quod tales habens progenitores sceleratos, et facinorosos, nihilominus tamen, nec ipse, nec mater eius aliquam inde peccati labem contraxerint. Unde d. Hieronymus in dialogo de origine animarum, respondens quibusdam, qui Deum increpabant, eo quod Anus adulterinis foetibus infundebat, eleganter dixit: *Non est vitium seminis in tritico, quod furto dicitur esse sublatum, sed in eo, qui frumenta furatus est, quod terra non debuit in gremio suo semina confovere, quia sator inmundum ea proferat manu: quemadmodum ergo frumentum furto habitum nullam maculam contrahit a fure seminante illud; ita Christus Dominus, et Maria, licet a progenitoribus peccato infecti processerint, nullam tamen ab eis peccati maculam contraxere: quemadmodum autem cum quis aquam ex longinquo loco ad proprium ducere satagit, licet fistulae, per quas illa ducitur, luteae, impolitae, atque deformes sint, fons tamen, in qua aqua recipitur, ex pulchris lapidibus, ut laspide, marmore, porphyrete, et alabastro confici solet, et aqua, quae inde defluit, nihil fistularum deformitatis, per quas transit, ab illis mutat; sic certe, quamvis progenitores Christi, luteae fistulae, et peccati macula deformati fuerint, ex beata vero Maria, quae fons erat variis virtutum lapidibus perpolitus, et exornatus, Christus Dominus nascens, nullam progenitorum, per quos pertransiit, maculam contrahens, emanavit; itaque coelestis illa aqua, de qua ipse dicebat (Ioan. 1): *Qui sitit, veniat ad me, et bibat, ea quidem paritate, quae erat apud Patrem: Et Verbum erat apud Deum, eadem in uterum Mariae descendit: De qua natus est Iesus.***

Tandem arbitror, Evangelistam consulto quatuor peccatrices foeminas in Christi genealogiam induxisse, quia omnes illae novis, ac

singularibus quibusdam modis fuerunt viris coniunctae, in quibus mira arcana delitescunt coniunctionis Verbi cum humanitate Christi, et eiusdem spirituali cum Ecclesia desponsatione. Thamar enim simulans se meretricem, cum socero proprio se commiscuit, ut sine filiorum sobole non maneret (Gen. 38.). Rahab exploratores occultans, in populum Dei translata est, atque digna habita fuit coniugio principis tribus Iudae (Iosue. 2.). Ruth Moabitibus, quoniam propter famem ortam in terra Israel, ad Moabitibus profugit, Abimelech cum uxore sua Noemi, filiis suis coniuges moabitibus ibi accepit, quae orbatae viris, una remansit cum suis. Ruth adhaesit socri suae, atque colligens spicas post messores in agro Booz, viri potentis, ipsi in coniugem copulata est (Ruth 1. 2. 3.). Bethsabee, ex quo Davidi visa est, cum se lavaret, eius amore captus, eam a viro rapuit, quo infecto, in coniugem eandem sumpsit (1. Reg. 22.): haec omnia varia mysteria Christi complectuntur, quae non est huius loci enucleare: maxime cum in homiliis nostris catholicis lib. 2. de Incarnatione, latissime de eis sermone instituerimus. His iam praelibatis, ad verba illa accedamus: *Virum Mariae, de qua natus est Iesus: ecce, quam sapienter Evangelista mutavit stylum narrationis suae; nam cum antecessorem semper dixisset genitricem successorem, ut Mathaeus genuit Iacob, Iacob autem genuit Ioseph: minime tamen subiunxit: Ioseph autem genuit Iesum, ut significaret, Christum Dominum non a Ioseph, tanquam a patre, qui solum habet Patrem in coelis, ortum habuisse, sed a sola Maria; et ideo stylum mutans, dixit: Iacob autem genuit Ioseph, virum Mariae, de qua, non de qua, natus est Iesus: quibus verbis duo magni momenti sacramenta nobis dedit; primum, Christum Dominum non fuisse conceptum ex virili semine; secundum, Mariam, virginitatis integritate conservata, Filium suum concepisse, cum non ex viro, sed ex divino Spiritu conceperit. Deinde id non potest vacare mysterio, quod, cum Deus olim reliquis sanctis insigne alicuius beneficium confers, nomen eorum mutabat: Abrahae enim dixit (Gen. 17): *Non vocaberis Abram, sed Abraham; quia pater eris multarum gentium; Iacob post nocturnam luctum ait (Gen. 32.): Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quasi diceret; iam non amplius nomen tuum erit Iacob, sed videns Deum: Sauli etiam nomen in Pauli nomenclaturam commutavit; ac tandem Simoni inquit, iam deinceps non sic appellandum, sed Petrum: Et imposuit Simoni nomen Petrus, quia super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Haec cum ita se habeant, non potest non aliquid in eo latere arcanum, ut, aliquot Deus ad subtilissimam Dei Genitricis dignitatem Virginem eveniens, Mariae nomen, quod ab infantia sibi collatum fuerat, minime, ut moris erat, mutaverit. Crediderim sane, id consulo Deum fecisse, ut significaret, alios, cum ad novum statum mutabantur, mutare etiam debuissent licentiosam vitam in regularem; Virgo autem tanta semper sanctitate praecelluit, ut nihil in ea unquam de malo in bonum mutandum desideraretur; et ideo ad id**

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. I.

significandum, etiam novam, ac celsissimam Dei Genitricis dignitatem accipiens, Mariae nomen non mutavit, sed semper illud relinquit: quod et eius significatio non obscure portendebat, cum *illuminata* interpretetur: quae autem illuminata erat, non indigebat, iuxta illud Pauli (Eph. 5.): *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux.*

Illud tamen silentio praeterendum non est, non absque divino consilio factum esse, diversam omnino genealogiam Christi narrandi rationem sortitum fuisse Mathaeum a Luca: hic enim in ista mystica scala generationis Christi ascendit usque ad supremum gradum, nempe Deum, desinens in illa verba (Lucae 3): *Qui fuit Dei; primus enim genitor Christi Deus fuit, iuxta illud symboli niceani: Deus de Deo, lumen de lumine; genitum non factum: ille vero descendit ab Abraham usque ad Mariam, a qua ultimus gradus huius scalae, Christus Dominus secundum humanam naturam prodit, eodem Evangelista dicente (Math. 1): De qua natus est Iesus: sic enim sacri Evangelistae nos monuerunt, illum secundum divinitatem cunctis creaturis celsiorem, secundum humanitatem vero novissimum omnium virorum habitum esse, ut dixit Isaias (c. 53.): unde et iusti per angelos significati, qui ascendebant, et descendebant per scalam, quam in somnis vidit Iacob (Gen. 28.) invitatur, ut ascendat per hanc mysticam scalam usque ad coelorum caecum, divinitatem eius in sinu Patris adorantes, atque inde descendant usque ad terrarum infima, abiectum scilicet, et humile stabulum, humanitatem eius in gremio Mariae (Luc. 1.). De qua natus est Iesus, religiose venerantes. Sacra narrat Genesis historia, quod, cum Abraham misit famulum suum Eliezer, ut quaereret sponsum filio suo Isaac, dixit ei (Gen. 24.): *Pone manum tuam subter femur meum, ut adiurem te per Dominum coeli, et terrae, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chanaanorum. Inaudita sunt iuramenta caeremonia haec fuit: antiquitus super altare fiebant iuramenta, sicut nunc super evangelia, aut super crucem. Quid ergo est, quod subter femur Abraham illud iuramentum factum est? Sciebat quidem ille spiritum propheticum, femur eius, quia ex ipso ortundus erat Christus, aquaeductum esse, per quem aqua illa pluvialis Verbi divini carnem assumpturi, quam antiqui Patres deprecabantur (Isai. 45.): *Rorate coeli desuper, et imber pluam iustum, transitura erat; et ideo dixit famulo suo, ut iurare, ponens manum subter femur suum, tanquam super rem quodammodo sacram: ut enim nunc in Ecclesia Dei, quando ad petitionem iudicis sacerdos compellitur iurare, iurat ponens manum super pectus suum, tanquam super rem, eo nomine sacram, quod illa frequenter transeat corpus Christi, in Eucharistiae sacramento sumptum: ad eundem modum Abraham fecit famulum suum Eliezer iurare super femur suum, tanquam super rem ea ratione sacram, quod per illud, tanquam per aquaeductum pertransibat coelestis illa aqua Verbi divini, usque ad Isaac, et reliquos eius successores, Christi futuros progenitores. Sed dicit quispium***

et merito: qui fieri potest, ut si Jacob, Isaac, et reliqui patriarchae aquaeductus erant, per quos coelestis illa dncebatur aqua, sitibundi adeo essent, ut continuis precibus illam de coelo decidere obnixè efflagitarent, immo et David illam ardentissime siliret, quando dixit (2. Reg. 23): *O si quis mihi daret potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem?* respondeo, patriarchas illos, etsi prophético spiritu afflatos, probe agnoscerent, se aquaeductus esse, per quos coelestis illa aqua ducebatur, necnon et rumorem fluxus illius percipere, et audire: sitientes tamen erant, quia nondum pervenerant ad Marianum fontem, ex quo illa in terram defluere debebat: in cuius figuram, ne a praedicto Genesis loco (c. 24) recedamus, legimus, Eliezer, Abrahæ famulum, quando ivit ad quaerendam sponsam Isaaco, non bibisse, quousque pulchra Rebecca aquam ex fonte hausit, et eandem ei porrexit; sic certe nunquam sancta Dei Ecclesia hanc coelestem aquam ex profundissima illa divini pectoris abyso manantem ebibit, quousque ad purissimum immaculatae Virginis fontem pervenit, ex quo illam hausit, quia ipsa est, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus: unde d. Bernardus (serm. 5. de Assumpt.) ait: *Propterea tanto tempore humano generi fluente gratias defuerunt, quod necdum intercederet is, de quo loquimur, tam desiderabilis aquaeductus: nec mirabere divitius expectatum, si recordaris, quot annis Noe vir iustus in arcae fabrica laboravit, in qua paucae, idest octo animae salvae factae sunt; idque satis ad modicum tempus. Sed quomodo noster hic aquaeductus fontem illum attingit tam sublimem? quomodo putas, nisi vehementia desiderii, nisi ferore devotionis, nisi puritate orationis? vocat scriptum est: Oratio iusti penetrat coelos; et quis iustus, si non Maria iusta, de qua sol iustitiae ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attingit maiestatem, nisi pulsando, petendo, quaerendo? denique, et quod quaerebat, invenit; cui dictum est: Invenisti gratiam apud Deum; haec divus Bernardus.*

Ad haec, de rege David quaedam legimus (1. Reg. 17), quibus proposita verba nonnihil illustrari possunt: *Misit manum suam in peram, tulitque unum lapidem, et funda iccit, et circumducentes percussit Philisthaeum in fronte. Ad eundem modum aeternus Pater, per Davidem significatus, misit manum, hoc est, Filium suum, iuxta illud (Psal. 143): Emitte manum tuam de alto: et intromisit petram angularem, ut lo-*

quitur Paulus, humanitatis Christi in peram autem virginem; deinde autem Christo nascente, inde illam extrahens, ut in crucis funda tempore cruenti illius belli in monte calvario inveniendi, eandem collocans, diaboli caput cavens, ac de universis hostibus, instar Davidis patris sui, de gigante gloriosam victoriam reportet.

Tandem dicamus, ut ad informandos mores nostra convertatur oratio, quod si miraris ingentem Virginis dignitatem, dum Genitrix Dei facta est (Matth. 1): *De qua natus est Iesus: sane, tu amice lector, non prohiberis, quinimo invitaris, ut mater Christi efficiaris, ipso dicente (Matth. 13): Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse meus frater, et soror, et mater est: non enim Christi propinquitas secundum sanguinem, sed secundum spiritum nos sanctificat, quia, ut ait d. Ioannes (c. 1), illi sunt sancti, et iusti, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis... sed ex Deo nati sunt. Ego certe voluntatem, velut uterum animae, contemtor, in quo omnia desideria concipiuntur, iuxta illud Isaiae (c. 26): A facie tua Domine concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum. Quando enim ex divina inspirationis semine sancta proposita pullulant, tunc bona desideria concipiuntur: quando vero per bona opera illa exterius in lucem prodeunt, iam partus edimus, et quasi Christum parturimus, quem ante mente solum conceptum ferebamus. Iob hunc partum considerans dicebat (c. 39): *Vel parturientes cervas observasti? incurantur ad foetum, et pariant, et rugitus emittunt. Cervae istae animas sanctas adumbrant, quae facile, ac proinde instar cervarum ad sublimia loca salientium, coelestia petunt, sancta suae conversationis desideria concipiunt, incurvantur per humilitatem, vehementes suspiriorum rugitus prae magna contritione emittunt; ac tandem varia poenitentiae opera instar parturientium summo animi dolore pariunt. Verum tamen est, quod sicut mulier, cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit puerum, iam non meminit praesurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum; ita veri poenitentes post editos salutaris poenitentiae foetus eo gaudio gaudent, de quo Christus Dominus ibidem dixit: Gaudet cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Quod nobis dignetur praestare, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.**

DE SACRIS ARCANIS

PRAESENTATIONIS B. VIRGINIS

IN TEMPLO

LIBER TERTIUS

IIOMILIA PRIMA

Historiam Marianae praesentationis in templo, variaeque prodigia illam concomitantia, priscorum patrum monumentis, ac multiplici probatissimorum doctorum testimonio stabilimus.

Ne in vanum in sublime aedificium erigere videamur, non praeciato prius sufficienti fundamento, certe cum haereticorum impudentia praesentationis historiam ab Ecclesia receptam, tamquam fabellam, ac ridiculam narrationem perfricata fronte irrideat, compellor verissimam illam esse ex antiquissimis patribus, omni exceptione maioribus lestibus, prius comprobare, quam illustrare. In primis ergo produco s. Ioannem Damascenum (lib. 4. de orth. fid. c. 13. circa med.): *Editur partu in domo oculis Ioakim, et adducitur in templum; deinde in dono Domini plantata, et impingata spiritu, velut olivae fructifera omnis virtutis habitaculum facta est; ab omni saeculari vita, et carnali concupiscentia procul mentem sequestrans, et sic virginem animam cum corpore conservans, ut decebat eam, quae in sinu Deum susceptura esset: sanctus enim existens in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, ut templum sanctum, et admirabile Altissimi Dei digne demonstraretur: sic ille. Sed ante illum Gregorius Nyssenus (sermone de sancta Christi nativ.) ita habet: *Audiri igitur arcanum, et occultam quendam historiam tales de ea re memoriae prodentem narrationes. Insignis quidem in illa exacta secundum legem vivendi ratione, et nobilitate propter summam virtutem pater Virginis erat, sed expertus sobolis consenscebat, propterea quod coniux eius ad liberorum procreationem apta non esset. Habebatur autem matribus a lege quidam honor, cuius honoris steriles participes non erant. Imitatur igitur haec quoque ea, quae de natate Samuelis narratur, et sanctum sanctorum ingressa, supplicat Deo, ne legum beneficio**

*privetur, quae nihil in legem peccasset; sed, ut mater fieret, ac Deo, quod gigneretur, consecraret. Confirmata autem natu dicens, donum, quod petit, accepit. Quam autem nata esset puella, nomen quidem impositum ei Mariam, ut etiam per nomen impositum divinitus datum munus significaretur: quum autem puella iam ita grandis evasisset, ut mammae admoeri eam amplius opus non esset, haud conclata est eam ad templum adducere, ac Deo reddere, atque praesentem praestare. Praesentes autem exemplo Samuelis in sacris interim puellam educere: haec d. Gregorius Nyssenus. Nec invat antioritatem huius historiae infringere velle, eo quod s. Gregorius egregie vocavit illam apocripham, et mysticam; quia hoc idem est, quod apud nos tamquam occultum, et arcanum, absque scripto canonico, per nondam traditionem, usque ad tempus illud pervenisse. Unde veram illam esse existimasse, probant verba, quae inferius subiungit, explicans verba illa (Luc. 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Haec, inquit, Mariae vox demonstrat esse vera, quae per occultam illam historiam traduntur. Sed adhuc, ad magis stabilendam veritatem Marianae praesentationis, b. Evodius vir apostolicus, post d. Petrum antiochenae ecclesiae praesul, in epistola, quam lucem in scripsit, ut refert Nicephorus, ait (lib. 2. cap. 3. hist.): *Trimula cum esset, in templum est praesentata, et ibi in sanctis sanctorum traduxit annos undecim: deinde vero sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita. Ac tandem eandem historiam recipiunt Epiphanius (lib. de vita B. Virg.) monachus, ac presbyter Constanthinop. (in libro vitae beatae Virginis), ubi ait: *Virginem triennem praesentatam templo a parentibus suis cum donis, et susceptam a sacerdote Iodai, qui, et Barachias dicitur, pater Zachariae; et narrat, paulo post dictam praesentationem, Ioakimum anorum nonaginta novem et vita decessisse. Addo Georgium Nicomediensem (homil. de praesent.), et Gregorium****